Klass. Philologie

De vi atque usu vocabuli officii

Dissertatio inauguralis

quam amplissimi philosophorum Vratislaviensium ordinis consensu et auctoritate ad summos in philosophia honores rite impetrandos

scripsit

Ernestus Bernert
Vratislaviensis.

Promotus a. d. III. Non. Jul. a. MCMXXX.

Vratislaviae 1930

Typis Grass, Barth & Comp. (W. Friedrich).

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulerunt

Guilelmus Kroll   Ludolfus Malten.

Examen rigorosum habitum est
a. d. III. Kal. Aug. a. MCMXXIX.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum hanc dissertationem typis expressam esse testatur

F. Berkner
ord. phil. h. a. decanus.

Guilelmo Kroll
sacrum.

Praefatio.

Si quis sciscitans, quae vis vocabulo officii insit, magnum lexicon inspicit, multas et diversas huius vocis significationes reperit. Haec multitudo et diversitas significationum unius vocabuli ex nulla re nisi ex crebro usu vel potius ex gravitate eius intellegi potest. Re vera officium in re et privata et publica Romanorum plurimum valuit, id quod cum ex libris aliorum scriptorum tum ex Ciceronis et Plinii epistulis manifeste nobis occurrit. Cuius vocabuli vim et usum hoc libello perscrutari et illustrare mihi proposui; nam de hac re nondum satis edocti sumus. Sententiis de vi huius vocabuli aliorum virorum allatis demonstrare conabor, quae vis atque usus in comoediae fabulis sit, deinde etymologia ex hac disputatione tractata duobus capitibus disseram, quae vis in re publica libera et Caesarum aetate fuerit, et duobus capitibus tractabo, quae illis temporibus fuerint vis atque gravitas officiorum amicorum. Postremo pauca de Ciceronis libro, quem de officiis scripsit, disseram; sed haec tractatio non iam ad propositum meum spectat, quod ‚officium' in his libris translationem Graecae vocis *τοῦ καθήκοντος* esse constat et in vita Romanorum nihil valuit.

De vocabulo officii, quod ad vim peculiarem eius pertinet, hi viri clarissimi Reisinger[1]), Brugmann[2]), Skutsch[3]) nonnulla disseruerunt. Sed hi viri dissentiunt, quae sit prima atque propria significatio; nam de huius vocis etymologia nequaquam inter se consentiunt.

Perlucide apparet vocabulo officii verbum faciendi inesse, quod etiam inest vocabulis aedificii, beneficii, maleficii etc. Officium,

---

1) Landauer Progr. 1897 p. 52 sq.

2) Indogerm. Forsch. 24 p. 164 sq.

3) Glotta 2 p. 161 sqq.

quod ad formam huius vocis attinet, est eorum substantivorum, quae suffixi -ium vel -ia ope formata primitus adiectiva verbalia feminini vel neutrius generis fuerunt, quorum nonnulla in lingua Latina conservata sunt (crucius, dubius, pius, pluvius etc), multa facta sunt substantiva masculini generis (fluvius, genius, lanius, socius etc.), pleraque autem substantiva feminini vel neutrius generis. Horum vero substantivorum vis est activa, quare fluvius est, ut lingua Graeca utar, *ὁ ῥέων*, genius est *ὁ φύων*. Qua de causa substantiva feminini vel neutrius generis idem significant, quod in lingua Graeca infinitivi, quibus articulus *τό* antepositus est, atque in lingua vernacula voces in -ung exeuntes. Itaque sunt excubiae „das Wachestehen" = *τὸ φυλάττειν*, inedia „das Nichtessen", suppetiae „das Helfen", diffugium „das Auseinanderstreben", discidium „das Bersten", divortium „die Trennung". suspendium „das Aufhängen" etc.[1]). Quibus ex exemplis apparet vocabulo officii vim activam faciendi inesse oportere.

Dubium autem est, utrum prima syllaba of- a praepositione ob an a vocabulo operis derivanda sit. Illam sententiam Reisinger et Brugmann protulerunt, hanc Skutsch. Sed Reisinger et Brugmann, etiamsi uterque a praepositione orditur, tamen de vi peculiari huius vocabuli dissentiunt. Reisinger enim putat verbum officiendi vocem mediam, quae dicitur, fuisse et vim „jemandem etwas antun" habuisse et voces officii in bonam partem „Dienstleistung, Gefälligkeit", officiendi autem in malam partem „schaden" progressas esse. Brugmann autem ex eadem praepositione ordiens hanc vim repudiat et significationem „moralische Verpflichtung, Obliegenheit, Schuldigkeit" peculiarem putat et in Indogerm. Forsch. 24 p. 164 cum alia tum haec dicit: „Wie oportet nichts mit ops „Hilfe, Beistand" zu tun hat, so halte ich auch die übliche Erklärung von officium als *opi-faciom „Dienstleistung" für verfehlt. Schon die Bedeutung spricht dagegen. Denn officium ist von Haus aus kein Handeln, sondern die moralische Verpflichtung, Obliegenheit, Schuldigkeit. Das Wort enthält ebenfalls die Präposition op und bedeutete ursprünglich

[1]) cf. Fr. Stolz Hist. Gramm. der lat. Sprache I p. 456 sqq.

das „Auferlegtwerden“ von etwas, was man tun muß“. Quibus verbis Brugmann contra eos contendere videtur, qui officium cum vocabulo opis iungendum esse putant. Sed perperam Brugmann iudicat: „officium ist von Haus aus kein Handeln“, ut supra ex vi vocabulorum in -ium exeuntium intelleximus. Itaque universa sententia Brugmannii repudianda est, quod in falsa vi peculiari nititur. Cum Reisingerii sententia congruunt ea, quae in lexico Forcellini ad vocem officii scripta videmus: „*Verbale ab officio ita tamen, ut, dum officio in malam partem accipitur, officium semper in bonam sumatur.*“ Eandem sententiam sequitur Krebs-Schmalz, Antibarbarus II⁷ p. 207.

Contra Brugmannium Skutsch contendit; nam arbitratus primae syllabae vocis officii vocabulum operis inesse a vi „Tun, Werktun“ orditur, quod exemplis ex fabulis Plautinis allatis demonstrat.

Leges grammaticas observantes concedimus officio et praepositionem ob inesse posse (cf. officere = obficere) et vocabulum operis (cf. opifex ex ‚*opofex‘, officina ex ‚opificina‘, quae orta est ex ‚*opoficina‘. Opificina semel conservata est apud Plautum, Mil. 880). Itaque fieri potest, ut officium primitus fuerit *opoficium, deinde vocali o correpta *opificium, denique vocali i elisa et consonante p ad f assimilata officium factum sit[1]).

Quod legibus grammaticis hoc diiudicari non potest, restat, ut conemur, si quid ex scriptorum usu de huius vocis etymologia concludere possimus.

---

[1]) cf. Leumann-Hofmann: Lat. Gramm. p. 92.

Caput I.

Quae fuerint in comoediae fabulis vis atque usus vocabuli officii.

Inquiramus nunc, quae apud scriptores antiquissimos sint vis atque usus vocabuli officii; nam qui primam cuiusdam vocis atque propriam significationem investigare atque constituere sibi proposuit, ei ab antiquissimis scriptorum testimoniis, quae in antiquissimis scaenae fabulis nobis occurrunt, ordiendum est, quod in iis persaepe vis peculiaris vocabulorum satis aperte perlucet.

Nobis vim atque usum vocis officii inquirentibus optimum esse videtur ordiri ab eo loco, cuius ex contextu dilucide apparet, quae vis in illis fabulis praecipue huic voci subsit: Truc. 434 sqq. *Di.*: „*Non amantis mulieris, / sed sociai unanimantis, fidentis fuit / officium facere, quod modo haec fecit mihi, / suppositionem pueri quae mihi credidit, / germanae quod sorori non credit soror.*“ Statim intellegimus officium voce nostra „Pflicht“ verti non posse, quae huius vocabuli interpretatio vulgaris est. Praemittendum quoque est officium non a verbo faciendi pendere, sed verba „*non amantis . . . officium*“ esse coniungenda. Vox officii, quid sibi velit, ex hoc loco aperte et perspicue intellegitur; nam plane dictum est: officium fuit facere. Vocabulo officii igitur inest vis a g e n d i ; quod cum verbis, quae supra de origine vocum in -ium exeuntium fecimus, prorsus congruit. Sed hac re significatio huius vocis nondum exhausta est. Quid porro? Verbum faciendi, quo officium propius determinatur, ipsum insequenti enuntiato relativo explanatur: „*quod modo haec fecit mihi, suppositionem pueri quae mihi credidit.*“ Quo enuntiato relativo comperimus,

quid officio contineatur, mulierem viro amanti suppositionem pueri credidisse. Suppositio vero pueri cuilibet homini credi non potest, quod ea, quae puerum supposuit, magna et multa poena afficitur, si hoc palam fit. Itaque ne soror quidem germanae sorori hoc credere audet; tantam rem silendam uxor sola marito credere solet. Diniarchus ea re, quod facinus suppositionis pueri credendae vocat officium non amantis mulieris, sed sociae unanimantis, fidentis, dicit tam periculosum facinus ex partibus uxoris posse intellegi neque ex partibus mulieris amantis; haec igitur partes suas deseruit et partes uxoris secuta est. Voce Germanica „Pflicht", ut iam supra diximus, officium verti non potest; huic enim voci est in lingua nostra, qua his temporibus utimur, vis „sittliche Verbindlichkeit"[1]). Haec autem vis voci officii hoc loco nequaquam subest. Neque enim de lege neque de norma agitur, qua uxor aut mulier amans aliquid vel omittere vel facere iubetur; nam hoc modo oritur vis „sittliche Verbindlichkeit". Sociam quoque fidentem atque unanimantem ex matrimonio arcana marito credere non oportet. Ergo vocabulo officii inest vis eius actionis, quae partibus agentis respondet. Propterea officium vocabulis nostris, „das der Rolle gemäße Tun, Rolle, Handlungsweise[2])" mihi optime videtur verti. Quae cum ita sint, fieri non potest, quin partes determinentur, quarum facinora quaedam sunt propria; hae genetivo vel adiectivo vel pronomine possessivo definiri possunt; et re vera apud scriptores antiquissimos officium semper cum his coniunctum est[3]); itaque statim initio dixi officium cum genetivis coniungendum esse.

---

[1]) cf. Grimm: Deutsches Wörterbuch VII. p. 1752.

[2]) Itaque Skutsch (Glotta II p. 162) hunc locum perperam interpretatur: Das war schon nicht mehr bloss die Tat einer Geliebten, sondern einer socia. Plautum enim pro voce nostra „Tat" facinus neque officium scribere oportuit.

[3]) Qua de causa puto in Trin. 639 „neque mens officio migrat" ante „officio" „suo" inserendum esse, praesertim cum hoc loco „mense officio" traditum i. e. hic locus corruptus sit. cf. Leo Rhein. Mus. 38 p. 4. Adn. 1.

Nunc autem eos locos, quibus haec vis modo tractata subest, proferam. Quod pueri ludentes conquiniscere solent neque natu grandes hoc faciunt, Lampadio servus in Cist. 657 se puerorum partes usurpantem conquiniscere velle his verbis dicit: „*Faciundum est puerile officium; conquiniscam ad cistulam.*“ — In Stich. 1 sqq. duae sorores narrant patrem se a maritis absentibus abalienare studere; sorores eo maiore dolore afficiuntur de hoc patris studio, quod hoc improbi viri est v. 11 sqq.: „*Sed hoc, soror, crucior / patrem tuom meumque adeo, unice qui unus / civibus ex omnibus probus perhibetur, / eum nunc improbi viri officio uti.*“ — Cas. 584: „*Vitium tibi istuc maximum est, blanda es parum*“ his verbis Lysidamus senex Cleystratam matronam, quod a vicinis nihil impetrare possit, increpat; quae senis verba vituperans respondet: „*Non matronarum officiumst, sed meretricium, / viris alienis, mi vir, subblandirier.*“ Viris alienis subblandiri partibus meretricium congruere me disserere opus non est. — Pseud. 375 sqq. *Ba.:* „*. . . posse opinor facere me officium meum. / Call.: Quid id est? Ba.: Si tu argentum attuleris, cum illo perdidero fidem: / hoc meum est officium.*“ Ballio leno perfidiam, si haec ei utilitati est, officium suum i. e. partibus lenonem congruentem vocat. — Item in As. 173 lena se artem lenarum sordidam sequi putat, si in virum amantem male consulit et, cum adulescens quidam de hac re queratur, audacter respondet v. 173 sqq.: „*Quid me accusas, si facio officium meum? / Nam neque fictum usquamst neque pictum neque scriptum in poematis, / ubi lena bene agat cum quiquam amante, quae frugi esse volt.*“ — In Pseud. 912 Pseudolus, cum Simias sycophanta, qui eum in fallacia efficienda adiuvare volebat, sero venisset, ad hunc cum alia tum haec dicit: „*Nimis metuebam, male ne abiisses.*“ Ad haec Simias: „*Fuit meum officium ut facerem, fateor*“; nam fidem fallere partibus horum virorum congruit. — In Capt. 297 Tyndarus partibus commutatis de servo, qui nomen et nobilitatem domini, quae hic omnes celare voluerat, prodiderat, hoc dicit: „*Fecit officium hic suom, / quom tibi est confessus verum.*“ Nam fidem conservare a servis alienum est. Hoc autem facinus brevi ante Hegio his verbis laudavit v. 294: „*Hic fecit*

hominem frugi ut facere oportuit", id quod etiam his verbis dicere potuit: „*Hic fecit officium hominis frugi.*" — In Aul. 403 Anthrax coquus ex finitimis aedibus magnum clamorem audit, ex quo concludit, coquos in culina vicini clepere, id quod his verbis dicit v. 404: „*Coqui, hercle, credo, faciunt officium suom.*" — In Poen. 427 Agorastocles adulescens „*fugio*" dicit pro „*abeo*"; itaque Milphio servus salse respondet: „*Meum est istuc magis officium quam tuom.*" Servos fugientes, ut libertatem adipiscantur, partes suas sequi perfacile est intellectu. Item As. 379 sq.: „*Iam ego recurro huc . . . / Volo seni narrare*" haec verba facit servus, quem alter admonet his verbis „*Quin tuom officium facis ergo ac fugis?*" Huc pertinet etiam Capt. 206 sqq. Tyndarus servus cum Philocrate domino captus lorariis, ut se ex vinculis solverent, persuadere his verbis conatur: „*Quid a nobis metuit?*" *Scimus nos nostrum officium, quod est, si solutos sinat.*" Tyndarus vocem officii usurpat, ut lorarius putet se omnia conficere velle, quae fieri erus iubeat; nam hoc etiam partibus servorum congruit. Lorarius autem sententiam ancipitem, de qua postea disseram, intellegens iure respondet: „*At fugam fingitis, sentio quam rem agitis.*" — In Pseud. 137 sqq. Ballio leno in servos vehementer invehitur: „*Eo enim ingenio hi sunt flagritribae, / qui haec habent consilia, ubi data occasiost: rape, clepe, tene, / harpaga, bibe, es, fuge: hoc est / eorum officium.*" Quo de loco ulla verba facere opus non est, quod cum locis tractatis aperte congruit.

Haec vis vocis officii etiam ex aliorum scriptorum libris illustrari potest. Pacuv. 268 sq. (R.) „*Conqueri fortunam adversam, non lamentari decet; / id viri est officium, fletus muliebri ingenio additus.*" „*Id viri est officium*" respondet verbis „*fletus muliebri ingenio additus.*" Haec autem sententia idem valet atque flere partibus mulierum respondet; ergo illo enuntiato idem dicitur atque partibus viri congruit non lamentari. Vis igitur eius actionis, quae partibus agentis respondet, in hoc exemplo aperte voci officii subest. Lucilius fr. 686 „*Quapropter deliro et cupide officium fungor liberum*". Delirare est ‚de lira decedere' et poeta, quod liberi de lira cedere solent, delirans partes liberorum

sequitur[1]). Postremo huc pertinent hi loci Pac. 129: „*Nonne officium fungar vulgi atque aegre male factum feram?*" Titin. 48: „*Edepol hominis [es] ignavi functus officium.*" Auct. ad Her. 2, 14. „*Deinde dicemus calumniatoris esse officium verba et litteras sequi, neglegere voluntatem*"[2]).

Quibus ex exemplis si intellegimus officium non quandam actionem significare, sed omnes actiones, quae partibus agentis respondent, complecti, manifestum est singularem huius vocabuli solum usurpari. Quo modo pluralis declarari potest in Terentii Ad. 964 sqq.? „*Res apparet. Et quidem porro haec, obsonare cum fide, / scortum adducere, apparare de die convivium: / non mediocris hominis haec sunt officia.*" Hic locus a locis modo tractatis nequaquam distat; sententia enim est: obsonare cum fide, scortum adducere, apparare de die convivium: hae sunt actiones, quae partibus non mediocris hominis congruunt — id est scilicet salse dictum. Demea singulares actiones obsonandi etc. spectans non singulari, sed plurali utitur. Eodem modo etiam hos locos intellegendos esse puto: Andr. 108 sqq.: „*Curabat una funus; tristis interim, / nonnunquam conlacrumabat... Haec ego putabam esse omnia humani ingeni / mansuetique animi officia.*" Haut. 64 sqq.: „*Nemo habet / servos complures: proinde quasi nemo siet, / ita attente tute illorum officia fungere.*" Id est: Opera perficiens, quae conficere servos oportet, officium eorum fungeris. Rud. 921 sq.: „*Vigilare decet hominem, qui volt sua temperi conficere officia. / Non enim illum exspectare ⟨id⟩ oportet, dum erus se*

---

[1]) Haud scio an cum Luciano Muellerio ruderum (cod. ruberum) scribendum sit; nam rudera sunt lapides, qui de lira (i. e. extra viam) iacent, et poeta delirans officio ruderum fungitur.

[2]) Perssonio viro doctissimo assentior, qui in Catulli carmine 110,6 sq. scribere vult in „Eranos" 14 p. 126 sqq.: ‚*Sed data corripere / fraudando officiumst plus quam meretricis avarae*‘ et hunc locum ita interpretatur: „Aber Geschenke zusammenzuraffen, indem man Betrug übt, das ist die Handlungsweise einer mehr als habsüchtigen Dirne." Profecto autem mihi persuasi facinus, quod verbum in Friederici editione scriptum videmus, adhiberi non posse, cum hoc vocabulo actiones quaedam significentur neque id, quod voce nostra „Handlungsweise" continetur. Cf. p. 5 praecipue adn. 2.

ad suom suscitet officium.“ Pluralis officia in v. 921 idem valet atque significat quod singularis in v. 922; servus autem primum plurali usus opera quaedam spectat, quae conficere officium servorum est. Huc pertinet Auct. ad Her. 4, 46, etsi hic locus alio modo est intellegendus: „*Nam cum canes fungentur officiis luporum, quoinam praesidio pecua credemus.*“ Pecudes comedere luporum, non canum est; quodsi canes hoc faciunt, usurpant partes luporum. Pluralis autem hoc loco adhibitus est, quod ad compluria animalia spectat, quorum unicuique est officium pecua comedendi.

Nimirum vocabulo officii non modo ea vis, quam adhuc tractavimus, in comoediae fabulis subest, sed significatio iam in iis commutata et progressa est. Rursus optimum mihi videtur esse ordiri ab eo loco, ex quo aperte significationis commutationem intellegere possumus. Phorm. 138 sq. *Geta:* „*Quod fors feret, feremus aequo animo.*“ Da. „*Placet: / Em, istuc virist officium.*“ Perspicuum est hunc locum ad exempla adhuc tractata spectare; nam Davos his verbis dicere vult: Viri partibus respondet aequo animo ferre, quod fors feret. Sed hac re vis vocis officii nondum satis est illustrata. Nam Davos his verbis Getam, ut ex verbo placendi et particula em apparet, magnis laudibus afficit. Servus enim non modo profiteri vult aequo animo fortunam ferre partibus viri respondere, sed sub hoc vocabulo laudem subicit. Aperte autem intellegimus hanc vim ex nulla re nisi ex contextu apparere. Sed quo modo fieri potest, ut officio vis eius actionis, quae personam agentem ex partibus decet, subiciatur? Primum omnibus partibus insunt facinora quaedam, quae his partibus solis respondent. Deinde ii, qui partibus quibusdam subiecti sunt, sententia his partibus insita astricti sunt. Qua ex sententia apparent actiones quaedam et eae, quae non postulantur, sed tantum idoneae atque optandae sunt ad sententiam partium bene consequendam, et eae, quas nisi conficimus, sententiam illam laedimus. Itaque perfacile est intellectu et illam vim, quae voci nostrae „es geziemt sich“ congruit, et eam, quam nos voce „Pflicht“ significamus, ex prima atque propria vi nasci posse. Qua in vi magni momenti est eam legem constituere, ex qua personam

agentem quasdam actiones perficere vel decet vel oportet. Lex autem, cui in Phorm. 138 partes viri subiectae sunt, est fortitudo, quae virum adhortatur, ut fortunam aequo animo ferat; itaque virum decet fortunam aequo animo ferre. Virum autem ita non agere oportet, quod haec actio non lege postulatur, sed haec tantum optanda ad legem bene implendam est. Similiter res in Stich. 295 sqq. se habet: „*Tantum a portu adporto bonum, tam gaudium grande adfero, / vix ipsa domina hoc, nisi sciat, exoptare ab dis audeat. / Nunc ultro id deportem? Haud placet neque id viri officium arbitror.*“ Hic alia lex partibus viri subest, quam apta voce vocare non possumus. — Huc spectat Andr. 330 sq.: „*Ego, Charine, ne utiquam officium liberi esse hominis puto, / quom is nil mereat, postulare id gratiae adponi sibi.*“ Partes aut potius lex, quae homini partes supponit, est adiectivo ‚liberi‘ expressa. — Cum Chremes filium increpet, quod non a meretrice amici abstinuerit, Syrus servus in adulescentem invehi videtur Haut. 579 sq.: „*Clitipho, haec ego praecipo tibi? / Hominis frugi et temperantis functu's officium?*“ Nam id, quod Clitipho fecit, dedecet adulescentem, qui frugi atque temperans esse vult. Quin etiam adulescentem non modo ita agere dedecet, sed hoc ei nequaquam faciendum est, quod frugalitas et temperantia, quae partes adulescentis constituunt, hoc vetant. Syri verba „*Hominis frugi atque temperantis functu's officium?*“ idem valent quod Chremes senex in initio huius scaenae v. 562 dixit: „*Itane fieri oportet?*“ Haec enim senis verba ad eandem actionem spectant, ad quam Syri verba pertinent. — Non aliter res se habet in Ad. 462 sqq.: „*Maior filius tuos Aeschinus, / quem fratri adoptandum dedisti, neque boni / neque liberalis functus officiumst viri. / ... Filiam eius virginem vitiavit.*“ Virum decet bonum atque liberalem esse; hae virtutes vetant virginem vitiare; itaque bono atque liberali viro virgo nequaquam est vitianda. — Phorm. 281 sqq.: „*Functus adulescentulist / officium liberalis: postquam ad iudices / ventumst, non potuit cogitata proloqui; / ita eum tum timidum ibi obstupefecit pudor.*“ Liberalitas, quae partes adulescentium regit, adulescentes vetat se audacter in publico gerere et admonet,

ut exempli gratia pudore permoti, postquam ad iudices venerunt, proloqui non possint, quae antea excogitaverunt. Nimirum haec vis, ut iam supra diximus, ex nulla re nisi ex sententiarum contextu apparet. Nam hunc locum etiam interpretari possis: hic adulescens non ita agit, ut liberales adulescentes agere solent, nisi Geta verbis „*laudo hunc*“ (v. 285) dicere vellet adulescentes se ita gerere dedecere. — Micio senex Syrum manumiserat; Demea illum admonet Ad. 979 sqq.: „*Siquidem porro, Micio, / tu tuom officium facies atque huic aliquid paulum prae manu / dederis, unde utatur, reddet tibi cito.*“ Ad hoc Donatus adnotat: „*Hoc est patroni* (= hoc patronum decet), *ut libertum non deseras, sed alas manumissum.*“ Quomodo fieri possit, ut officium et eam actionem, quae partibus respondet, et eam, quam impleri oportet, significet, perlucide ex loco iam supra tractato Cas. 585 sq. intellegi potest: „*Non matronarum officiumst, sed meretricium, / viris alienis, mi vir, subblandirier.*“ Viris alienis subblandiri partibus meretricium congruit; plus his verbis dictum non est. Sed hoc facere non modo non partibus matronarum congruit, sed iis nequaquam licet, quod pudicas esse oportet et pudicitia eas viris alienis subblandiri vetat.

Age nunc hac via progrediamur. Megaronides in Calliclem invehitur, quod domum amici emerit et pretium quadraginta minarum filio improbo tradiderit. Ad haec Callicles Trin. 174 sqq.: „*Quid fuit officium meum me facere? Face sciam, / utrum indicare me ei thensaurum aequom fuit, / advorsum quam eius me obsecravisset pater, / an ego alium dominum paterer fieri hisce aedibus? / Qui emisset, eius essetne ea pecunia? / Emi egomet potius aedis, argentum dedi / thensauri causa, ut salvom amico traderem.*“ Charmides enim, amicus Calliclis, thesaurum in horto aedium suarum defossum simul cum filio filiaque Callicli amico tradiderat et mandaverat, ne thesaurum filio proderet, quod hic pecuniam perdidisset; quas custodis partes Callicles libenter subierat. Sed cum patre absente filius domum vendere vellet, Calliclem officium pecuniae filio non tradendae, si officio thesauri observandi fungebatur, violare necesse erat. Quae autem leges

partes suas destinent et se hoc vel illud facere iubeant, Callicles ipse dicit v. 141 sq.: „. . . *quod meae concreditumst / taciturnitati clam, fide et fiduciae* . . .“ Moralibus autem legibus Callicles se obstrictum esse dicit. Quo ex exemplo aperte intellegimus vocabulo officii inesse iam in comoediae fabulis vim „P f l i c h t = s i t t - l i c h e V e r b i n d l i c h k e i t“[1]). Etiam apertius haec vis nobis occurrit Stich. 3 sqq. *Pan.*: „*Nam nos eius* (i. e. Penelopae) *animum / de nostris factis noscimus, quarum viri hinc absunt, / quorumque nos negotiis absentum, ita ut aequomst,/sollicitae noctes et dies, soror, sumus semper. Pam.: Nostrum officium nos facere aequomst / neque id magis facimus, quam nos monet pietas.*“ Lex igitur moralis, cui hae sorores i. e. uxores subiectae sunt, est pietas, ut ex versu 8 apparet; haec uxores de maritis absentibus per dies et noctes sollicitas esse iubet. Pamphyla in sororem de marito querentem invehitur v. 34 sqq. Pam.: „*An id doles, soror, quia illi suom officium / non colunt, quom tu tuom facis? Pan.: Ita pol. / Pam.: Tace sis, cave sis audiam ego istuc / posthac ex te. Pan.: Nam quid iam? / Pam.: Quia pol meo animo omnis sapientis / suom officium aequom est colere et facere. / Quam ob rem ego te hoc, soror, tametsi es maior, / moneo, ut tuom memineris officium. / Etsi illi improbi sint atque aliter / nos faciant quam aequomst, tam pol, / ne quid magis sit, omnibus obnixe opibus / nostrum officium meminisse decet.*“ Sapientes igitur ii appellantur, qui officium suum colunt et faciunt. Qui autem officio non fungitur, improbus vocatur, quod adiectivum ad mores pertinet. — Neque modo sapientes, sed etiam honesti appellantur ii, qui officio funguntur Trin. 697: „*Is est honos homini pudico, meminisse officium suom.*“ Et Micio senex in Ad. 69 sq. putat: „*Malo coactus qui suom officium facit, / dum id rescitum iri credit, tantisper pavet.*“ — Iustitia a nobis postulat, ut detrimentum, quod alicui attulimus, sarciamus Ad. 592 sq.: „*Ego in hac re nil reperio, quam ob rem*

[1]) Itaque falsum est, quod H i r s c h f e l d e r, Philol. Wochenschrift XX. 1903 p. 1011 dicit: „Bekanntlich hat die Bedeutung, die im nhd. Gebrauch das Wort Pflicht erhalten hat: „sittliche Verbindlichkeit“, das Wort officium (opificium) erst sehr spät erhalten . . .“

lauder tanto opere, Hegio. / Meum officium facio. Quod peccatum a nobis ortumst, corrigo.“ Huic Hegio v. 602 sq.: „*Nam et illi<c> animum iam relevabis, quae dolore ac miseria / tabescit, et tuom officium fueris functus.*“ / — Leges morales cum alia postulant tum haec, ut homines vera loquantur; itaque serva dicit Pers. 616: „*Scio ego officium meum, ut, quae rogiter, vera eloquar.*“ — Parentum pietati subiectum officium est omnia facere, quae salutem liberorum augent. Exempli gratia pietas postulat, ut parentes liberos in servitutem abductos redimant (Pers. 618). — Pamphylus, quod pater ei uxorem dare vult etiam eodem die, quo hoc ei dixerat, exclamat Andr. 236 sqq.: „*Hoccinest humanum factum aut inceptum? Hoccinest officium patris? / ... Pro deum fidem quid est, si haec non contumeliast? / Uxorem decrerat dare sese mihi hodie: Nonne oportuit / praescisse me ante? Nonne prius communicatum oportuit?*“ Hoc est: Id, quod pater facit, ne alienum quidem hominem decet, patrem autem id facere non oportet, quia pietas vetat. Verba „*Hoccinest humanum factum aut inceptum?*“ et „*hoccinest officium patris*“ et „*nonne oportuit ...*“ inter se respondent et illustrant officium significare eam actionem, quae personae agenti ex lege quadam facienda est. Porro pietas postulat a parentibus vel a fratre, ne filiam vel sororem sine dote in matrimonio collocent. Quod nisi faciunt, improbi putantur Trin. v. 692 (cf. Trin. 688 sqq. Phorm. 722 sqq.). — In Amph. 721 Alcmene a maritis postulat, ut Sosiam servum audacissimum verberet, quod se ignominiis afficiat; nam hoc esse officium mariti.

Adhuc vidimus legibus moralibus partes vel officium hominum obstringi. Hoc nimirum etiam aliis legibus fieri potest. Exempli causa servis voluntas domini est suprema lex. Officium his videlicet locis caret vi „sittliche Verbindlichkeit“; nam servi maxime timore poenae permoti officiis funguntur. Itaque Ballio in servos suos vehementer invehitur Pseud. 148 sqq.: „*Atque heri iam edixeram omnibus dederamque eas provincias, / verum ita vos estis praediti † neglegentes † ingenio improbi, / officium vostrum ut vos malo cogatis commonerier.*“ Vis faciendi hoc loco iam recessit, progressa autem est vis debendi. Pasicompsa serva ab ero interro-

gata, num nere possit, respondet Merc. 520: „*De lanificio neminem metuo, una aetate quae sit!*“ Ad haec Lysimachus: „*Bonae, hercle, te frugi arbitror, matura iam inde aetate / quom scis facere officium tuom, mulier*“; nam servas nere posse oportet. Hac in occasione de tribus locis disseramus, quos iam supra commemoravimus: Poen. 427 *Ag.: „Fugio. Mi.: Meum est istuc magis officium quam tuom.*“ As 379 sq. „*Iam ego recurro huc . . . Volo seni narrare. Li.: Quin tuom officiom facis ergo ac fugis?*“ Capt. 206 sq. Ty.: „*Scimus nos nostrum officium quod est, si solutos sinat. / Lo.: At fugam fingitis. Sentio, quam rem agitis.*“ Omnibus his locis effugium vocatur officium servorum; quod cum huius vocis significatione prorsus congruit, ut supra demonstrare conati sumus. At Milphio in Poen. 427 et fortasse etiam Libanus in As. 379 hac voce usi facetias facere volunt. Quonam autem modo hoc potest fieri? Quod ut intellegamus, a versibus Capt 206 sqq. incipiamus. Tyndarus enim vocabulo officii vim ancipitem supponit. Nam lorarium putare vult se cum socio omnia perfecturum esse, quae dominus eorum sibi mandet; hoc enim est officium servorum ex opinione dominorum. Iure autem lorarius respondet: „*At fugam fingitis: sentio, quam rem agitis.*“ Nam Tyndarus re vera dicens se officium suum scire effugium spectaverat; nam etiam hoc officium est servorum, quod id eorum proprium est. Facetiae igitur et ambiguitas inde oriuntur, quod ambae significationes simul vocabulo officii supponuntur, et vis eius actionis, quae partibus agentis respondet, et eius, quam fieri oportet. Officium autem servorum est subiectum voluntati domini i. e. legi, quae extra partes est et praecipit, quid partibus respondeat.

Multi autem servi officio suo non modo timore poenae permoti funguntur, sed etiam propterea, quod se religione quadam obstrictos esse putant. Qua de causa officium horum servorum est „Pflicht = sittliche Verbindlichkeit“. Itaque gloriatur Strobilus servus Aul. 587 sqq.: „*Hoc est servi facinus frugi, facere quod ego persequor, / ne morae molestiaeque imperium erile habeat sibi. / Nam qui ero ex sententia servire servos postulat, / in erum matura, in se sera* c o n d e c e t *capessere. / Sin dormitet, ita dormitet servum sese ut*

cogitet. / Nam qui amanti ero servitutem servit, quasi ego servio, / si erum videt superare amorem, hoc servi esse officium reor, / retinere ad salutem, non enim quo incumbat eo impellere.“ Hoc servus facit arbitratus se frugalitate obstrictum esse. Sed in v. 601 „*Qui ea curabit, abstinebit censione bubula*“ huic considerationi illa succedit, secundum quam timor poenae est causa officii fungendi. Praeterea rursus hoc loco videmus voce facinoris neque officii actiones quasdam spectari, ut iam supra p. 5 dixi. — Probitas postulat, ut servi voluntarii neque semper admoniti officium suum faciant; nam Stich. 58 sq.: „*Qui manet, ut moneatur, semper servos homo officium suom / nec voluntate id facere meminit, servos is habitu hau probust.*“ cf. Pseud. 1103 sqq, Rud. 920 sqq.[1]). In Cas. 103 Chalinus Olympionem conservum increpat: „*Abi rus, abi dierectus tuam in provinciam.*“ Ad haec Olympio: „*Chaline, non sum oblitus officium meum: / Praefeci ruri recte, qui curet tamen.*“ Nam diligentia postulat, ut vilicus, si ex eri praedio excedit, huic alium virum praeficiat, qui pro vilico praedium diligenter curet. Ex religione quadam Grumio in Tranionem conservum invehitur Most. 27 sq.: „*Hoccine boni esse officium servi existumas, / ut eri sui corrumpat et rem et filium?*“

In Poen. 11 sqq. histrio exclamat: „*Exsurge, praeco, fac populo audientiam. / Iam dudum exspecto, si tuom officium scias. / Exerce vocem, quam per vivisque et colis.*“ Manifestum est etiam hoc exemplum ad exempla initio huius capitis tractata spectare. Officium autem hoc loco idem fere valere videtur atque m u n u s. Tamen utraque vox inter se differt. Officium hoc loco ab histrione adhibetur, quod dicere vult praeconem munere praeconum fungi debere. Nam munus est ea vox, quae personam, quae munere fungitur, non respicit, o f f i c i u m autem s p e c t a t s e m p e r a d h o m i n e m, quae munus subiit. Munus igitur est, ut lingua nostra utar „das Amt an sich“, officium autem „das Amt, das zu verwalten jemandem obliegt, Amtspflicht, Berufspflicht“. Vocabulo officii inest semper, ut ita dicam, vis subiectiva, vocabulo muneris

---

1) cf. Fraenkel: Plautinisches in Plautus p. 243 sq.

obiectiva, i. e. officium nihil ad negotia, quae muneri insunt, sed ad personam spectat, quam his negotiis subire oportet.

Sed in fabulis Plautinis etiam voci muneris vis subiectiva inesse potest, quae ex his exemplis apparet: In Trin. 1. sqq. Luxuria Inopiam admonet, ut in domum adulescentis ingrediatur, qui Luxuria adiutrice rem paternam perdidit, et aedibus inopiam inferat: „*Sequere hac me, gnata, ut munus fungaris tuom.*“ Perfacile est intellectu Plautum pro munere officium dicere potuisse; nam Luxuria admonet Inopiam, ut in aedibus adulescentis secundum partes agat. Amph. 825 sqq.: „*Nescio quid istuc negoti dicam, nisi si quispiam est / Amphitruo alius, qui forte ted hinc absenti tamen / tuam rem curet teque absente hic munus fungatur tuom.*“ Tua res et munus tuum eandem vim habent quam officium tuum. As. 812 sq.: „*Apud amicam munus adulescentuli / fungare, uxori excuses te.*“ Quia vis vocabuli muneris persaepe prope ad vim vocis officii accedebat, quin etiam, ut modo vidimus, nonnunquam eandem vim accepit, elocutionem „*officium fungi*“ ortam esse puto. Plautus enim munus fungi et semel fortunas fungi (Most. 47 „*sine me aliato fungi fortunas meas*“, quae elocutio a „*munus fungi*“ non longe distat), nunquam autem officium fungi coniungere solet; Terentius autem hanc elocutionem solam adhibet. Vis obiectiva officio in comoediae fabulis nusquam subest. Haec verba propterea facio, quod postea haec ratio et discrimen horum vocabulorum interiit et officium pro munere usurpatum est. Postremo huc pertinent inscriptiones, quas Cato nonnullis capitibus libri, qui de re rustica inscribitur, imposuit: „*Officia vilici, officia vilicae, officia custodis, officia capulatoris.*“ Pluralis autem rursus inde intellegendus est, quod Cato singula opera, quae his capitibus numerat, spectavit.

Ut praeco munere subiendo partes iniit, ita omnes, qui negotium quoddam suscipiunt, partes accipiunt. In Curc. 280 sqq. Curculio exclamat: „*Date viam mihi, noti, ignoti, dum ego hic officium meum / facio . . . Ita nunc subito, propere et celere obiectumst mihi negotium.*“ Homini obiter hos versus legenti officium idem valere videtur quod n e g o t i u m; quod accidit,

quia utraque voce idem continetur. Attamen utriusque vocabuli significationes inter se distant. Ut munus ad officium, ita negotium est ad hanc vocem. Rursus officium spectat ad hominem, quae negotium subiit, negotium autem significat eam actionem, quam facere officium agentis est. Etiam hic fines significationum non tam stabiles sunt, ut hoc vocabulum vim illius accipere non possit. Periplectomenes servo negotium dedit, ut Pyrgopolinicen arcesseret. Illi adhortanti servus respondet Mil. 1378 sqq.: „*Ne me moneatis, memini ego officium meum, / ego nam conveniam illum, ubiubi est gentium; / investigabo, operae non parco meae.*“ Hoc loco officium voce nostra „A u f g a b e“ transferri potest, quae etiam apud nos non modo obiective, sed etiam subiective usurpatur. Officium non eandem vim habere quam negotium etiam ex hoc exemplo apparet Ba. 754 sqq. *Chrysalus servus: „Mnesiloche, et tu, Pistoclere, iam facite in biclinio / cum amica sua uterque accubitum eatis, ita negotiumst, / atque ibidem ubi nunc sunt lecti strati, potetis cito.*“ Hoc negotium spectans Chrysalus admonet adulescentes v. 760: „*Vos vostrum curate officium, ego efficiam meum.*“

Condiciones temporum sunt alia lex, quae partes alicui imponere et actiones quasdam postulare potest. In Andr. 168 sqq. Simo senex Sosiam libertum admonet: „*Nunc tuomst officium, has bene ut adsimules nuptias, / perterrefacias Davom, observes filium / quid agat, quid cum illo consili captet.*“ Lex, quae liberto officium imponit, vocabulo nunc i. e. praesenti condicione destinatur. Item res se habet in Cas. 508 sq.: „*Sed si nunc facere volt era officium suom, nostra omnis lis est.*“ Amph. 675 *Alc.: „Magis nunc ⟨me⟩ meum officium facere, si huic eam advorsum, arbitror.*“

Eodem modo etiam vox operis adhibetur, id quod ad etymologiam vocis officii perspiciendam magni momenti est. Truc. 499 sq. As: „*Miles, mea Phronesium, / tibi adest Stratophanes. Nunc tibi opust aegram ut te adsimules.*“ Dativus possessivus in Plauti fabulis persaepe pro pronomine possessivo adhibetur. Condicionibus temporis, quae adventu militis datae sunt, admonetur Phronesium,

ut se aegrotam assimulet. Phronesio igitur partes aegrotae subeundae sunt. Neque miraremur, si Plautus pro opere officium tuum scripsisset. Opus igitur subiective et active a Plauto usurpatum est. Item Truc. 327 sq. Di.: „*Quin hercle lassus iam sum durando miser: / Mihi quoque prae lassitudine opus est ⟨ut⟩ lavem.*" Condicio, quae lassitudine data est, admonet Diniarchum, ut lavet.

Deinde pactio in duobus vel compluribus hominibus partes imponere et actiones quasdam postulare potest. In Trin. 815 sqq. Megaronides et Callicles senes, ut dotem pro filia Charmidis amici servent, dolo utuntur, ad quem perficiendum ipsi sibi partes attribuunt; itaque Megaronides partes exponit: „*Ego sycophantam iam conduco de foro / epistulasque iam consignabo duas, / eumque huc ad adulescentem meditatum probe / mittam.*" Ad haec Callicles: „*Eo ego igitur intro ad officium meum. / Tu istuc age.*" Item in Truc. 711 Astaphium et era eius sibi quasdam partes attribuerant; itaque ancilla eram domi versantem adhortatur: „*Lepide efficiam meum ego officium; vide intus modo, ut tu tuom item efficias.*" Quae sint erae partes, ancilla v. 712 dicit: „*Ama id quod decet rem tuam; istum exinani ...*"

Denique hic locus dignus est, qui afferatur. Epidicus e domo Periphanis egrediens cum pecunia, quam hic ei tradidit, senem his verbis alloquitur Ep. 337: „*Fecisti iam officium tuom, me meum nunc facere oportet*". Haec verba faciens et voce officii usus servus longe aliud intellegit atque senex. Nam Epidicus traditionem pecuniae ambigue officium senis vocat. Senex enim servo mandaverat, ut fidicinem conduceret, et se ea re, quod ei ad hoc pecuniam tradidit, partes suas implevisse putat; Epidicus autem seni nolenti et nescio partes alias supponit, quae erant Stratipoclem filium pecunia adiuvare.

Non modo de hominibus, sed etiam de rebus vocabulum officii usurpatur, si hae agentes intelleguntur. Itaque Chremes de sobrietate sua narrans Eun. 729: „*Postquam surrexi, neque pes neque mens satis suom officium facit.*" Nam lex naturae membris corporis partes attribuit, ut hominibus serviant. Eodem modo Lucretius hac voce bis utitur 1, 336 sqq.: „*Namque officium quod*

corporis exstat, / officere atque obstare, id in omni tempore adesset / omnibus." 1, 362 sq.: „*Corporis officiumst quoniam premere omnia deorsum, / contra autem natura manet sine pondere inanis.*" Hic numerandi non sunt Andr. 113 sq.: *Haec ego putabam esse omnia humani ingeni / mansuetique animi officia*" et Trin. 639: „*Scio ego et sentio ipse, quid agam, neque mens* ⟨*suo*⟩ *officio migrat.*" Nam vocabula ingenii, animi, mentis sunt pro hominibus ipsis usurpata, quos officio fungi oportet.

Caput II.

De etymologia vocabuli officii.

Postquam disserui, quae essent vis atque usus vocabuli officii apud scriptores antiquissimos, reliquum est, ut huius vocis etymologiam tractem. Ex omnibus exemplis adhuc allatis perlucide apparet vocabulo officii in commoediae fabulis inesse vim eius actionis, quae partibus agentis congruit aut quam confici vel decet vel oportet. Quae cum ita res se habeat, Reisingerii sententiam repudiari necesse est, qui officio vim peculiarem „Dienstleistung, Gefälligkeit" esse dicit; nam haec vis apud scriptores antiquissimos nusquam, ut vidimus, invenitur, sed primum a Cicerone adhibetur. Porro etiam Brugmannii sententia, contra quam in initio huius libelli propter suffixum -ium contendimus, probanda non est quod usum antiquissimum non satis respicit.

Nunc paucis verbis expositurus sum, quid antiqui scriptores de huius vocis etymologia intellexerint. Isidorus etym. 6, 19, 1 scribit: „*Officium autem ab efficiendo dictum, quasi efficium, propter decorem sermonis una mutata littera; vel certe ut quisque illa agat, quae nulli officiant, sed prosint omnibus.*" Quibus ex verbis apparet antiquos scriptores ipsos etymologiam non iam intellexisse, cum Isidorus duas sententias memoriae prodat, quarum haec est eadem atque „*lucus a non lucendo*"; de qua longius disserere operae pretium non est. Altera etymologia est eadem atque illa Donati, qui ad Ter. Ad. 69 adnotat: „*Officium autem dicitur quasi efficium ab efficiendo quod unicuique personae congruit*"; et ad And. 236

adnotationem reperimus: „*Officium ab efficiendo ab eo, quod quaeritur in eo quid efficere unumquemque conveniat pro condicione personae.*“ Haec etymologia cum Isidori prorsus congruit, qua ex re concludere possumus iis librum, qui ad etymologiam pertinebat, subfuisse, in quo fortasse scriptum erat id, quod Donatus nobis tradidit. Quis hoc lexicon scripserit, nos dicere posse puto; nam apud Paulum Diaconum p. 94 scripta videmus: „*Officiosus ab efficiendo dictus*“ i. e. eadem verba, quae apud ceteros invenimus scripta. Cum Paulus Diaconus Festum, Festus autem Verrium Flaccum exscribat, iure dicere nobis licet hanc etymologiam in eo libro, quem Verrius Flaccus de verborum significatu scripsit, scriptam fuisse. Sed etiam haec etymologia nequaquam probabilis est; idcirco nihil aliud restat, nisi ut alia via proficisci conemur. Sed priusquam hoc facimus, mihi dicendum est iam scriptores antiquos intellexisse officium esse eam actionem, quae „*unicuique personae congruit*“ vel „*sub condicione personae*“ fit, quae verba a meis „*quae partibus agentis congruit*“ non differunt.

Etymologiam tractare ordiamur duos locos conferentes Most. 412 sqq.: „*Verum id videndum est, id viri doctist opus, / quae designata sint et facta nequiter, / tranquille cuncta et ut proveniant sine malo....*“ Phorm. 138 sq.: „*Quod fors feret, feremus aequo animo. Da: Placet. / Em istuc virist officium.*“ Ad quos locus tertius etiam adici potest. Ad. 964 sqq.: „*Et quidem porro haec, obsonare cum fide, / scortum adducere, apparare de die convivium: / non mediocris hominis haec sunt officia.*“ Hoc lingua vernacula optime convertimus: „Das verrät einen schlauen Kopf, daß alles heil abläuft; das verrät einen Mann, wenn man das Schicksal mit Gleichmut erträgt; das verrät ein nicht mäßiges Talent einzukaufen ...“ Quid interest inter hos locos et voces operis et officii? Nulla re haec inter se differunt. Nam voci operis hoc loco est vis activa efficiendi neque passiva facinoris. Mirati essemus, si Plautus in Most. 412 officium pro opere scripsisset? Minime, puto. Etiam alia exempla infra tractata proferam, ex quibus idem intellegi potest. Cas. 508 sq.: „*Sed si nunc facere volt era officium suum, / nostra omnis lis est.*“ Amph. 675 Alc.: „*Magis nunc me*

meum officium facere, si huic eam advorsum, arbitror.“ Cum his versibus confer Truc. 499 sq. As: „*Miles, mea Phronesium, / tibi adest Stratophanes. Nunc tibi opust, aegram ut te adsimules.*“ Truc. 327 sq. Di: „*Quin hercle lassus iam sum durando miser. / Mihi quoque prae lassitudine opus est ⟨ut⟩ lavem.*“ Rursus opus vim activam habet et apud scriptores antiquissimos pro genetivo aut pronomine possessivo Dativum persaepe adhiberi iam supra commemoravi. Etiam his locis non miraremur, si Plautus pro opere officium scripsisset. Quae cum ita sint, optimo iure concludere mihi licet vocabulo officii vocem operis inesse et officium ex ‚*opo-ficium‘ ortum esse. Qua de causa vis peculiaris vocis officii alia esse non potest nisi „Werkverrichtung“.

Semel haec fere prima atque propria significatio conservata est Cic. rep. 2, 37: „*... non latuit scintilla ingenii, quae iam tum elucebat in puero. Sic erat in omni vel officio vel sermone sollers.*“ Cui enuntiato nulla alia sententia est nisi haec: „*sic erat sollers in agendo vel in dicendo*“ vel ut vernacula lingua utar: „Beim Verrichten seiner Arbeit wie im Gespräch.“ Prudenter vocem „seiner“ addo, ut illustrem officium semper cum aliis locis, ut identidem demonstrare conatus sum, tum in hoc exemplo s u b i e c t i v a m vim habere i. e. semper hominem spectare, qui opus facit. Itaque officium, ut supra dixi, apud scriptores antiquissimos semper cum genetivo vel adiectivo vel pronomine possessivo coniunctum est. Primariae autem significationi simillimi, quin etiam prope pares loci Caesarum temporibus inveniuntur et id tam crebro, ut latissime pateat hanc vim ab omnibus usurpatam neque rursus ex antiquissimis scriptoribus in lucem prolatam esse. Itaque putaverit quispiam linguam huius aetatis cum lingua antiquissimorum disiungendam non esse. Quibus ex exemplis pauca allaturus sum: Macr. Sat. 7, 14, 17 „*... cum lumen, quod pergit e nobis per aeris lucem in corpus inciderit, impletur officium videndi.*“ Actio igitur videndi officium vocatur. Cf. § 18. Id. § 19. „*Adeo autem in tuendo necessarium est rationis officium, ut saepe in uno videndi sensu etiam alium sensum memoria suggerente ratio deprehendat.*“ Cf. Macr. somn. 1, 6, 81. Theodorus Priscianus 2, 10 „*Ventris item si constrictum fuerit*

officium, per clysterem simplicissimum procurabo." Cf. 2, 14; 17; 21; 53; 3, 7 etc.

Opificium ipsum, quod in glossis voce Graeca „ἐργοποιία" translatum est, apud paganos scriptores bis invenire potui; nam apud Varronem scriptum videmus rust. 3, 16, 20: „*Minus valentium* (sc. apium) *signa, si sunt pilosae et horridae, ut pulverulentae, nisi opifici eas urget tempus.*" Quo ex loco vis „Arbeitsverrichtung" dilucide apparet. Verisimile est Varronem non antiquam formam vocis officii in lucem protulisse, sed ipsum hanc vocem a voce opificis derivavisse, quod brevi ante scriptum videmus. Primitus igitur ‚officium' significat ea opera, quae ‚opifex' in ‚officina' conficit, quae vis peculiaris interiit. De altero exemplo Varro Men. Frg. 342 vix quicquam dicere possumus. Post Varronem vox opificii ab auctoribus christianis demum usurpatur praecipue a Lactantio, qui opificium de mundo creando usurpavit. Ira 13, 13: „*Deus cum formaret hominem veluti simulacrum suum, quod erat divini opificii summum.*" Epit. 34, 11: „*Cui operi si quis manus impias adhibuerit ac divini opificii vincla dirruperit, deum conatur effugere . . .*" Liber quoque a Lactantio de opificio dei inscriptus est. Quibus exemplis nihil aliud demonstrare in animo habeo nisi eandem vim „Arbeitsverrichtung" aliquando etiam vocabulo officii subfuisse necesse esse et officium fuisse activam formam passivi vocabuli operis.

Quae cum ita sint, quomodo fieri potest, ut officium dicatur ab efficiendo, quod unicuique personae congruit, ut Donati verbis utar? Quod ut intellegamus, a praedicativa vi vocis nobis ordiendum esse puto. Nam si officium quoddam homini attribuimus, ex genere sententiae apparet, quid hac voce dicatur. Prout enim sententia, in qua officium adhibetur, vel enuntiatio vel adhortatio vel iussum continetur, vocabulo officii est vis efficiendi, vel 1) id quod partibus agentis congruit, vel 2) id quod conficere decet, vel 3) id quod confici oportet. Quod ad demonstrandum exempla horum trium casuum afferam: 1) Cist. 657: „*Faciundum est puerile officium; conquiniscam ad cistulam.*" 2) Phorm. 138 sq.:

„Quod fors feret, feremus aequo animo. Da: Placet. / Em istuc virist officium.“ 3) Stich. 6 sqq. Pan: *„Sollicitae noctes et dies, soror, sumus semper. / Pam.: Nostrum officium nos facere aequomst, / neque id magis facimus quam nos monet pietas.“*

Quod ad originem vocabulorum officii et opificis attinet, has voces, quod vis vocis officii iam ante Plautum progressa est, iisdem temporibus oriendas neque illud vocabulum ab hoc derivatum esse puto. Varronis opificium, ut iam dixi, ab eo ipso posteaque iterum ab auctoribus christianis ab opifice est nimirum derivatum.

De etymologia elocutionis *„opus est“.*

Liceat mihi de elocutione „opus est“ nonnulla disserere, cuius de origine variae sententiae sunt. Nonnulli enim arbitrantur huic elocutioni vim inesse „es ist geholfen mit etwas“. Quod ut probent, afferunt Liv. 43, 19, 4: *„Nihil Oaeno capto opus esse, nisi in potestate et Draudacum sit“* et transferunt „Mit der Einnahme von O. sei nichts geholfen“[1]). Recte ii hanc elocutionem interpretari mihi videntur, qui a voce operis ordiuntur, et putant vim peculiarem esse „es ist Arbeit“[2]). At equidem puto viam, qua haec elocutio vim notam accepit, aliam esse atque eam viam, qua illi putant.

Ut demonstrem, quomodo haec elocutio orta sit, locum iam commemoratum rursus proferam Most. 412 sqq.: *„Verum id videndum est, id viri doctist opus, / quae designata sint et facta nequiter, / tranquille cuncta ut proveniant sine malo.“* Rursus mihi dicendum est voci operis hoc loco non vim passivam operis facti, sed activam operis conficiendi inesse. Opus igitur eam vim accepit, in qua officium natum est — confer nostrum „Arbeit“, quod etiam utramque vim habet. Exinde apparet etiam vim elocutionis *„officium est“* item commutari potuisse atque elocutionem *„opus est“;* quin etiam hoc exspectandum fuit. Pro genetivo autem

---

[1]) cf. Arch. f. Lex. IV. p. 152 et 325, quo Wölfflin scribit: „Da die Deutung und Bedeutung von opus est = opis (ops) est aliqua re es ist Hilfe (geholfen) mit etwas . . .“

[2]) cf. E. Hoffmann: Lat. Syntax p. 122 sq.

possessivo Plautus ceterique scriptores antiquissimi persaepe, ut iam dixi, dativum, qui etiam temporibus Ciceronianis adhibetur, usurpant[1]). Usus praedicativus idem, quod apud vocem officii, apud vocem operis valet. Ea re, quod opus quoddam homini attribuimus, hoc opus esse huius proprium vel ei conficiendum dicimus. Huic, non illi significationi vox operis subiecta est. Truc. 499 sq.: „*Miles, mea Phronesium, / tibi adest, Stratophanes. Nunc tibi opust, aegram ut te adsimules.*" (Unter diesen Umständen ist es deine Arbeit, die du verrichten mußt, liegt dir ob, mußt du dich krank stellen.) Item Truc. 328 „*Mihi quoque prae lassitudine opus est ⟨ut⟩ lavem.*" Fortasse Romani vim peculiarem huius elocutionis etiam his locis senserunt.

Elocutioni autem „*opus est*" est etiam significatio „brauchen, nötig haben." Rursus nobis ad Most. 412 est regrediendum: „*Id viri doctist opus . . ut (sc. omnia) proveniant sine malo.*" Omnia sine malo provenire est necessarium; hoc videre virum doctum oportet; manifeste igitur iam hoc loco viam commutationis huius elocutionis intellegimus. Pro genetivo dativum adhiberi solere modo dixi. Subiectum autem sententiae „*id viri doctist opus*" est id, quod sententia „*ut proveniant sine malo*" continetur. Pro hac sententia etiam infinitivus esse potest Stich. 81 sq.: „*Quid mihi opust ... cum eis / gerere bellum.*" Poen. 311: „*Quid tibi opust vixisse.*" Postquam elocutio „*opus est*" stabilis est facta, nullo de origine huius elocutionis recordante pro infinitivo vel sententia ab coniunctione ut incipiente, quae subiectum totius sententiae erant, substantivum adhibitum est. Casus autem huius substantivi, quod subiectum sententiae factum est, alius esse non potuit nisi nominativus. Quod usu comprobatum videmus Capt. 164: „*Iam maritumi omnes milites opus sunt tibi.*" Mil. 1061: „*Talentum Philippi huic opus aurist.*" Pseud. 1185: „*Elleborum hisce hominibus opus est.*" Antiquissimi scriptores hac constructione persaepe, Cato autem sola utitur. Elocutio autem vi similis „*usus est*", quae casum verbi conservavit, effecit, ut etiam elocutio „*opus est*" hanc constructionem acciperet. Semel Plautus has

[1]) cf. Kühner-Stegman II². 1 p. 307 sq.

elocutiones commiscet Most. 250 sq.: „*Mulier quae se suamque aetaten spernit, speculo ei usus est. / Quid opust speculo tibi, quae tute* ...“ Elocutionem „*opus est*“ primo cum nominativo neque cum ablativo coniunctam esse manifeste inde apparere mihi videtur, quod antiquissimi scriptores illa constructione saepissime utuntur, quin etiam Cato eam solam adhibet. Ablativus apud elocutionem „*opus est*“ postea semper fere adhibitus, nominativus autem apud neutrum genus pronominis vel adiectivi conservatus est.

Caput III.

Quae fuerint apud Ciceronem et aequales eius vis atque usus vocabuli officii.

Vi vocabuli officii, quae in comoediae fabulis adhibetur, et etymologia tractata iam circumspiciam, quae aetate Ciceronis vis atque usus huius vocis fuerint; quae esse oportere alia atque in comoedia apertum est; nam alia est societas Romanorum, quae in comoedia, alia, quae in litterarum monumentis Ciceronis et aequalium eius nobis occurrit. Quam tractationem ab iis verbis incipere volo, quae Cicero ipse de vi huius vocis discrimen vocabulorum finis et officii illustrans inv. 1, 6 fecit: „*Inter officium et finem hoc interest, quod in officio, quid fieri, in fine, quid confici conveniat, consideratur. Ut medici officium dicimus esse curare ad sanandum apposite, finem sanare curatione, item oratoris quid officium et finem esse dicamus, intellegimus, cum id, quod facere debet, officium esse dicimus, illud, cuius causa facere debet, finem appellamus.*“ Quis est, qui neget hunc usum vocis officii Plautinum sequi? Officium est etiam in hac definitione ea actio, quae partibus agentis congruit; partibus autem medici congruit aegrotos homines curare, quare curare officium eius est. Sed ea re significatio huius vocis nondum satis definita est. Nam haec est iam circumcisa, quia officium agentis, ut ex Ciceronis verbis „*ad sanandum*“ apparet, a fine partium pendet. Et finis medici partium est aegrotos sanare. Officium agentis igitur normae aut legi subiectum est, id quod apud antiquissimos scriptores vidimus et tractavimus.

Haec lex, qua medicus, orator etc. obstricti sunt, praecipit, quid eos conficere oporteat, et cum hac lege alligati sint, eos id, quod lex praecipit, conficere oportet. Usus autem antiquissimus (viri improbi officio uti etc.) his temporibus non iam invenitur. Vim vocis officii ita progressam esse consentaneum est neque me longius de hac re disserere opus est. Nam omnes homines agunt, ut res magni pretii (Werte) creent. Hic solus potest esse finis actionum omnium hominum, cui ad unum omnes ex naturae lege subiecti sunt. Itaque vocabulo officii dignitas quaedam inest, ut ex verbis „*conveniat*" et „*debet*" apparet. Sed vis vocis hoc loco nondum ad mores pertinet. Cuius modi exempla ex Ciceronis libris afferam. Proximus oratoris finis est posse orationem habere. Quem ad finem quinque rebus opus est, quae officia oratoris sunt. Auct. ad Her. 2, 1: „*De oratoris officiis quinque inventio et prima et difficillima est.*" Cf. 1, 3: „*Oportet igitur esse in oratore inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, pronuntiationem.*" Videmus voces „*oportet esse in oratore*" eandem vim habere atque „*est officium oratoris*". Pluralis vocis officii, qui inde intellegendus est, quod actiones diversae spectantur, iam saepius usurpatur et nos hoc vocabulum optime nostro „Aufgabe" transferimus. Orationem autem habere non est proprius oratoris finis; nam orator oratione aliquid consequi vult. Itaque Cicero dicit de. or. 1, 138: „*Primum oratoris officium esse dicere ad persuadendum accommodate*", neque multo aliud scriptum videmus inv. 1, 6: „*Officium autem eius facultatis videtur esse dicere apposite ad persuasionem.*" Persuasio igitur audientium est finis aut lex, cui officium oratoris subiectum est. Praeter persuasionem, quae non modo finis, sed etiam officium ipsum ad alium finem esse potest, orator etiam alia petit; itaque oratori compluria officia sunt de or. 2, 64: „*In eodem silentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationis praecepta, consolationis admonita.*" Cf. De or. 2, 348: „*... si laudationes essent in oratoris officio ...*" Huc etiam pertinet inv. 1, 7: „*Aristoteles autem ... tribus in generibus rerum versari rhetoris officium putavit, demonstrativo, deliberativo, iudiciali.*" Cf. Auct. ad Her. 1, 2: „*Tria sunt genera causarum, quae recipere debet orator: demon-*

strativum, deliberativum, iudiciale.“ Nostra interest voces „*officium rhetoris*“ eandem vim habere atque „*debet orator*“, quod nequaquam miramur; nam iam dixi officium omnes actiones complecti, quas complere finis partium iubet.

Inv. 1, 6 „*officium facultatis*“ et 2, 11 „*officium artis*“ scriptum videmus, quibus locis officium non iam de hominibus usurpatur. Primitus haec coniunctio esse non poterat, cum neque ars neque facultas opus facere possint. Qua ex re videmus vim peculiarem non iam aperte intellegi, id quod etiam ex crebro usu pluralis apparet.

Antiquus usus, quem voce „Rolle“ transtuli, in his exemplis aperte intellegi potest div. 1, 71 = 2, 107: „*Si sine oculis non potest exstare officium et munus oculorum, possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere . . .*“ Antiquus usus etiam ex coniunctione vocabulorum officii et muneris apparet. Cf. disp. 3, 15; rep. 1, 33; disp. 3, 34: „*Utrumque enim consequitur, ut et considerandis rebus humanis proprio philosophiae fruatur officio . . .*“ Officio, quod ipsum solum actiones partium proprias complectitur, adiectivum ‚proprius‘ ad melius intellegendum adicitur. Postremo tertius locus proferatur disp. 3, 75: „*Haec igitur officia sunt consolantium tollere aegritudinem funditus aut sedare aut detrahere . . . Sunt quidem, qui unum officium consolantis putent, malum illud omnino non esse.*“ Finis consolantis est videlicet lugentem consolari; quem ad finem actiones quaedam conficiendae sunt, quae officium consolantis sunt. Cf. div. 2, 130.

Exinde progrediamur ad aliam vim, quae ex vi modo tractata orta est. Auct. ad Her 4, 47: „*Senatus est officium consilio civitatem iuvare; magistratus est officium opera et diligentia consequi senatus voluntatem; populi est officium res optimas et homines idoneos maxime suis sententiis deligere et probare. Item: accusatoris officium est inferre crimina, defensoris diluere et propulsare; testis dicere, quae sciat aut audierit; quaesitoris est unumquemque horum in officio suo continere.*“ Haec exempla usum modo tractatum sequi vix opus est longius disserere; nam etiam hoc loco finis partium est lex, cui officium agentis subiectum est;

fine enim partium adductus accusator crimina infert etc., et fine partium adductus magistratus opera et diligentia senatus voluntatem consequitur. Finis autem magistratus est rem publicam tueri et augere et omnes actiones, quas ad hunc finem implendum confici oportet, ad officium magistratus spectant. Cicero officium consulis complectitur Rab. perd. 3: „... *si est boni consulis cum cuncta auxilia rei publicae labefactari convellique videat, ferre opem patriae, succurrere saluti fortunisque communibus, implorare civium fidem, suam salutem posteriorem salute communi ducere ...*“ Et Cat. 4, 19 scriptum videmus: „*Atque haec .. locutus sum .. ut mea vox, quae debet esse in re publica princeps, officio functa consulari videretur.*“ Nam Cicero „*magnis laboribus fundatum imperium, magna virtute stabilitam libertatem, deorum benignitate auctas exaggeratasque fortunas*“, quae Catilina deleturus erat, coniuratione detecta conservaverat et officio erat consulari functus. Ad detectionem Catilinae coniurationis refertur etiam epist. 5. 2, 1: „*Quod cum dicerem, illud adiunxi mihi tecum ita dispertitum officium fuisse in rei publicae salute retinenda, ut ego urbem a domesticis insidiis et ab intestino scelere, tu Italiam ab armatis hostibus et ab occulta coniuratione defenderes ...*“ Non iure, sed obligatione morali magistratus admonentur, ut id, quod munus praecipit, faciant. Itaque Cicero confirmat Verr. 5, 35: „... *ut ego, quos adhuc mihi magistratus populus Romanus mandavit, sic eos accepi, ut me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer.*“ A munere ipso officia quaedam pendent, quae iis, qui hoc munere funguntur, conficienda atque observanda sunt. Quare Cicero ad Appium Claudium Pulchrum scribit epist. 3, 10, 11: „. . . *cuius magistratus* (i. e. censurae) *officia, quae sunt maximi animi summique consilii, tibi diligentius et accuratius quam haec, quae nos de te agimus, cogitanda esse censeo.*“ De officiis, quae sententia ‚quam — agimus‘ continentur, postea disseremus. Ex omnibus exemplis patet id, quod voce officii continetur, congruere cum eo quod munus vel negotia muneris complectuntur. Officium autem maiorem vim habet; nam in officio munus totum inest, sed officium, ut supra diximus, ad hominem spectat, quem hoc munere

fungi oportet. Itaque officium saepe cum munere vel vocibus huic similibus (consulatus, censura etc.) coniungi solet. Cuius rei nonnulla exempla afferantur. Font. 25: „*Non surdum iudicem huic muneri atque officio praeesse.*“ In Sext. Rosc. 117. complures voces, quae idem fere valent, conferuntur: „*... novem homines honestissimos eiusdem muneris, legationis, officii, mandatorumque socios induxit ...*“ Cf. Phil. 9, 1; div. 2, 7; Cato 34 et 35.

Officium autem cum munere confundendum non est; nam officium est vox subiectiva, munus autem obiectiva, ut identidem diximus; quod optime in promptu est Rab. perd. 2. Cicero consul defensionem Rabirii a Labieno accusati susceperat: „*... ut id studiosissime facerem, salus rei publicae, consulare officium, consulatus denique ipse mihi . . . commendatus coegit.*“ Consulare officium non idem valere atque consulatum ex hoc loco apparet. Consulare enim officium omnes obligationes complectitur, quas ex munere consulari consules conficere oportet.

Id autem, quod officio vel munere continetur, idem saepe est, ut iam dixi. Itaque mirum non est, quod officium vim subiectivam dimisit et obiectivam vim muneris accepit.

Hoc loco retro respiciamus. Officium primitus vox subiectiva erat, cui vis „Arbeitsverrichtung“ suberat. Ea re, quod officium personae supponitur, id, quod hac voce continetur, quasi aliquid conficiendum significatur; quod fit ex lege, cui et persona et officium subiecta sunt. Ex lege igitur oriuntur personae quaedam obligationes. Paulatim persona, quae primitus gravior erat, recedit et officia significant obligationes, quae ex lege apparent, et in persona, cui hae sunt conficiendae, nihil positum est. Cum obligationes muneris eaedem sint atque negotia eius, perfacile fieri potest, ut obligationes cum negotiis muneris commutentur et officium idem valeat atque negotium muneris aut munus ipsum. Itaque officium pro munere vel negotio non raro scriptum videmus, quam vim Caesarum aetate saepissime adhiberi constat; nonnulla exempla proferantur. Prov. cons. 20: „*... in campo statim rediit in gratiam, ut commune officium censurae communi animo ac voluntate defenderent*“. Hoc loco ex officio etiam vim subiectivam

elucere non puto. Profecto autem vim subiectivam omnino deesse in his exemplis Caes. civ. 3, 5, 4: „*Toti tamen officio maritimo M. Bibulus praepositus*". Cf. Id. 3, 119, 1; Ps. Caes. Alex. 4, 2, quibus locis officium imperium quoddam exercitus significat. Caes. civ. 3, 18, 1: „*Bibulus ... cum neque curari posset neque susceptum officium deserere vellet, vim morbi sustinere non potuit.*" Deinde officium pro negotio adhibetur, ut ex his locis apparet Caes. civ. 1, 38, 1: „*... Afranius et Petreius et Varro, legati Pompei, ... officia inter se partiuntur, ut Petreius ..., Varro ...*" Cic. epist. 15, 2, 3: „*... tempus eius tridui ... in magno officio et necessario mihi ponendum putavi*". Cf. Caes. civ. 3, 103, 4. Denique exinde officium munus privatum, quod patria lingua „Beruf" vocamus, significat. Cicero a senectute postulat Cato 29: „*ut adulescentes doceat, instituat, instruat ad omne officii munus.*" Cf. Cato 35 et 72.

Nunc autem accedamus ad alium usum vocis officii rursus ab eo loco ordientes, ex quo hic usus optime intellegi potest. Cic. inv. 2, 66: „*Religionem eam, quae in metu et caerimonia deorum sit, appellant; pietatem, quae erga patriam aut parentes aut alios sanguine coniunctos officium conservare moneat.*" A pietate opera quaedam pro salute patriae aut parentum aut consanguineorum postulantur. Pietas igitur est lex moralis, cui ad unum omnes subiecti sunt et obtemperare debent. Neque nobis ignota est haec lex, cum hanc iam apud Plautum appellatam viderimus Stich. 7. sq.: „*Nostrum officium nos facere aequomst / neque id magis facimus, quam nos monet pietas.*" Primo igitur pietas nos admonet, ut erga patriam officia nostra conservemus. Praecipue nimirum hoc officium ad magistratus spectat et pars modo scripta huius libelli huc pertinet. Sed pietas etiam ceteros cives monet, ut officiis erga patriam fungantur. Res publica „*latrocinio Antoniano*" in magnum periculum deducta erat. Etsi Antonius victus et superatus erat, tamen periculum rei publicae nondum sublatum erat, quod Hirtius et Pansa consules, quos ex munere rem publicam tueri oportebat, ceciderant. Itaque Cicero epist. 12, 25, 6 se rem publicam tutaturum esse pollicetur, quamquam admodum defatigatus sit;

„*sed nulla lassitudo impedire officium et fidem debet.*“ De rei publicae mala condicione dolore affectus Cicero ad Servium Sulpicium scribit epist. 4, 1, 1: „*C. Trebatius ... ad me scripsit ... hoc tempore velle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum communicare. Utinam, Servi, salvis rebus . . . colloqui potuissemus inter nos! profecto aliquid opis occidenti rei publicae tulissemus.*“

Deinde pietas nos admonet, ut officia nostra erga parentes aut consanguineos conservemus. Praecipuum officium parentum est providere, ne liberi ulla re careant; quare Cicero Atticum orat Att. 14, 7, 2: „*... ut videas, ne quid ei* (i. e. Ciceronis filio) *desit. Id cum ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem et dignitatem*“; cf. epist. 16, 6, 4. Itaque Trebonius Ciceroni scribit epist. 12, 16, 2: „*Cui* (i. e. filio Ciceronis) *nos et caritate et amore tuum officium praestaturos non debes dubitare.*“ Cicero magno dolore affectus est, cum Tullia filia moreretur. Ut memoriam eius coleret, fanum ei aedificare in animo habet; nam Att. 12, 23, 3: „*Mihi ... levatio quaedam est, si minus doloris, at officii debiti.*“ Ciceroni ex provincia decessuro successor erat relinquendus, quem, cum provincia in periculo esset, maxime idoneum ad hoc munus esse necesse erat. Nemo autem erat magis idoneus, qui provinciam administraret, quam Quintus frater eius; hic autem provinciam magnopere oderat; quare Cicero ignorat, quid faciat Att. 6. 3, 2: „*Deinde ut mihi nolit negare, quidam mei sit officii? . . . Videaturne aut pietatis esse meae fratrem relinquere aut diligentiae nugarum aliquid relinquere.*“ Cicero officiis inter se certantibus excruciatur; nam duae leges hoc momento temporis ei valere coeperunt, quae inter se coniungi non poterant. Si pietati fratris obtemperat, alteram legem laedit, quae est diligentia muneris aut provinciae. Quam legem graviorem putaverit et quod officium persecutus sit, comperimus ex 6, 5, 3: „*... qui cum advenerit, ἄλλο πρόβλημα, quem praeficiam, nisi Caldus quaestor venerit ...*“; nam Quintum fratrem provinciae praeficere non iam in animo habet. Ne plura disseram, officium prorsus voci nostrae „Pflicht“ congruit, quae vis — hoc loco iterum mihi est profitendum — peculiaris non est. Itaque apud Ciceronem scriptum

videmus rep. 3, 33: „*Est quidem vera lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnis, constans sempiterna, quae vocet ad officium iubendo, vetando a fraude deterreat*“ et apud Victorinum 1, 16: „*Officium est, quod ex legibus vel ex natura necesse est nos implere.*“

Secundum rem publicam amicitia vitam Romanorum regit. Quanti momenti amicitia in vita Romanorum fuerit et quae fuerint officia praecipua amicitiae, postea illustrare conabimur. Nunc autem tractemus, quantum amicitia ad significationem vocis officii potuerit. Etiam in amicitia pietatem, cuius gravitatem iam intelleximus, plurimum valere opus non est dicere. Itaque scriptum videmus Mil. 100: „*Nunc me una consolatio sustentat, quod tibi, T. Anni, nullum a me amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit.*“ Pietas igitur est lex moralis, quae ab amicis postulat, ut officiis erga amicum fungantur i. e. amicum consiliis et operis adiuvent. Hae ipsae operae officia vocantur et beneficiis obsistunt. Cf. epist. 10, 23, 7: „*Opto, ut mihi liceat iam praesenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora?*“ Quo modo haec vis vocis officii oriri potest? Priusquam hac de vi dissero, duos alios locos commemoratu dignos proferam: epist. 12, 29, 1: „*Ad haec officia vel merita potius iucundissima consuetudo accedit ...*“ epist 11, 17, 1: „*Magna eius in me, non dico officia, sed merita eaque sunt populo Romano notissima.*“ Officia igitur eandem fere vim habent quam merita vel beneficia, quod vocabulum identidem cum officio coniungitur. Cf. epist. 13, 53, 2; pet. cons. 10; Verr. 1, 34 et 2, 172. Has autem voces non eandem vim habere, sed inter se distare, apparet ex epist. 11, 17, 1, ubi officia alterius beneficiis alterius obsistunt; nam beneficia sunt operae voluntariae, officia autem eae, quae ab amicis postulantur cf. epist. 5, 6, 3: „*Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen ...*“ Cf. epist. 5, 2, 10. Ad discrimen vocabulorum officii et beneficii T y r e l l and P u r s e r ad pet. cons. 19 annotant: „*Beneficium is the original act of Kindnes or attention which begins the friendship; officium the return for the beneficium.*“ Haec definitio parum accurata est. Recta autem definitio Senecae videtur mihi, qui benef. 3, 18, 1 scribit: „*Beneficium esse quod*

alienus det: alienus est, qui potuit sine reprehensione cessare, officium esse filii, uxoris earumque personarum, quas necessitudo suscitat et ferre opem iubet." Omnes autem consanguinei, affines necessariique ex pietate obstricti sunt operas praestare, quae hac de causa officia, non beneficia vocari possunt. Itaque Cicero dicit Mur. 7: „*Ego, Serv. Sulpici, me in petitione tua tibi omnia studia atque officia pro nostra necessitudine et debuisse confiteor et praestitisse arbitror.*" Cf. epist. 10, 34, 3 et Auct. ad Her. 3, 11. Si quis a quodam beneficia accepit, haec beneficia necessitudinem inter hos efficiunt epist. 13, 19, 8: „*... Capitonem ... ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adiunxeris.*" Deiot. 39: „*... summam vero necessitudinem magna eius officia in me et in exercitum meum effecerunt.*" Cf. epist. 11, 22, 1. Ergo etiam ille, qui beneficia accepit, necessitudine obstrictus est beneficia operis remunerari, quae officia, non beneficia vocari possunt. Cf. p. red. in sen. 30: „*Quibus autem officiis, T. Anni, beneficia remunerabor?*" Cf. Scaur. 29; Planc. 93; Att. 9, 5, 3; Caes. Call. 5, 27, 7. Hoc discrimem aperte ex pet. cons. 19 intellegi potest: „*Profecto homines et spe reliquorum officiorum* (i. e. earum operarum, quae postea petitoribus pro beneficiis in petitione confectis praestandae sunt) *et recentibus beneficiis* (i. e. operis, quae ante petitionem non ex religione quadam, sed voluntarie praestantur) *ad studium navandum excitabuntur.*" Matthias Gelzer[1]) dicit vocabulo officii sententiam vicissitudinis semper fere inesse; quod accurate dictum non est; non vicissitudinis, sed obligationis sententia huic voci inest; vicissitudo autem ab obligatione oritur, ut modo demonstravimus; nam ii, qui beneficia acceperunt, obstricti sunt pro his officia praestare, quibus satisfacere illi, qui beneficia dederunt et officia acceperunt, obstricti sunt.

Adhuc nondum tractavimus, quomodo fieri posset, ut officia operas quasdam significarent, quae vis, ut supra p. 5 demonstravimus, primitus nequaquam vocabulo officii inest. Pluralem vocum abstractarum persaepe diversa genera vel facinora vocis abstractae significare constat[2]). Cuius rei nonnulla exempla

---

[1]) Nobilität der römischen Republik p. 53 sq.

[2]) cf. Kühner-Stegmann II². 1. p. 77.

afferantur Cic. off. 1,78: „*Sunt domesticae fortitudines non inferiores militaribus*“; fortitudines idem valent atque facinora fortia. Cf. virtus „Tapferkeit“, virtutes „Heldentaten“; Milo 32: „*Satis est in illa quidem tam audaci, tam nefaria belua docere magnam ei causam, magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse.*“ Inter utilitates et commoda nihil interest. Quibus ex exemplis allatis satis aperte intellegimus plurali vocis officii vim eorum facinorum vel operarum, quae ex religione quadam praestantur, subesse. Si officium voce nostra „Gefälligkeit“ transferimus, haec conversio recta non est, quod vox nostra vi facinoris ex religione confecti caret; aptiorem esse conversionem „Dienstleistung“ puto.

Saepissime a Cicerone officia et studia iuxta ponuntur epist. 15, 21, 5: „*Tu velim tua in me studia et officia multum tecum recordere* . . .“ cf. epist. 1, 6, 2; 12, 24, 1, etc. Quam rationem officium ad studium habeat, intellegimus ex epist. 2, 18, 1: „*Officium meum erga Rhodonem ceteraque mea studia, quae tibi ac tuis praestiti, tibi homini gratissimo grata esse vehementer gaudeo* . . .“ Quo ex exemplo apparet officia idem valere atque studia, quae vox etiam operas vel facinora significat. Sed inter has voces hoc interest, quod studia ampliore sententia usurpantur quam officia et omnes operas complectuntur, quae sive voluntarie sive ex religione praestantur. Cf. epist. 5, 19, 1: „. . . *perspicio* . . *te studiosiorem in me colendo fore quam in provincia fuisses (etsi meo iudicio nihil ad tuum provinciale officium addi potest)* . . .“

Plurali vocis abstractae officii concretam vim facinorum vel operarum esse posse modo demonstravimus. Haec vis, quae, ut rursus dicam, primitus plurali soli subesse potest, etiam ad singularem refluxit, cui duplex significatio inest et vis abstracta „Pflicht“ et concreta ex plurali concreto orta „Dienstleistung“. Ad hoc multum similia vocabula beneficii et maleficii, quae iam antea hac via progressi erant, valuisse puto. Itaque scriptum videmus pet. cons. 35: „*In salutatoribus* . . . *hoc efficiendum est, ut hoc ipsum minimum officium eorum tibi gratissimum esse videatur;* epist. 1, 8, 1: „. . . *neque ullum officium erga te hominis*

amantissimi, prudentissimi, diligentissimi praetermisit"; Att. 7, 4, 2: „*In hoc officio sermonis nihil potuit esse prolixius*"[1]).

Memorabilis est hic locus epist. 3, 10, 11, quo et operae ex religione factae et obligationes, quas munus fert, una voce officii significatur, ex quo apparet Romanos hoc discrimen, quod nos in

[1]) Hic locus aptus esse videtur mihi, quo nonnulla verba de aliis vocabulis, quae ope verbi faciendi formantur, faciamus. Ex verbis initio huius libelli factis apparet vim primam atque propriam vocabulorum beneficii et maleficii non „Wohltat" et „Übeltat" fuisse, sed „Wohltun" et „Übeltun" Haec vis activa bene vel male faciendi etiam satis aperte intellegi ex antiquissimis scriptorum testimoniis potest. Ter. Ad. 72 sq.: „*Ille, quem beneficio adiungas, ex animo facit, / studet par referre, praesens absensque idem erit.*" Quo ex enuntiato aperte intellegimus beneficium nihil nisi „Wohltun" significare posse. Plaut. Capt. 934 sq.: „. . . *di eam potestatem dabunt, / ut beneficium bene merenti nostro merito muneres*". Dass du durch Wohltun vergelten kannst. In Rud. 1221 Trachalio servus Daemonem senem orat: „*Atque ut gratum mi beneficium factis experiar.*" Vocis maleficii vis peculiaris patet in Truc. 500 sqq.: „. . . *nunc tibi opust, aegram ut te assimules. Ph. Tace! / Quoi adhuc ego tam mala eram monetrix, / me maleficio vinceres?*" Du willst mich im Übeltun übertreffen? Rud. 1246 sq.: „*Semper cavere hoc sapientis aequissimumst, / ne conscii sint ipsi malefici suis.*"

Idem valet etiam in ceteris vocabulis huius modi; itaque vocabulo lanificii est vis „Die Beschäftigung mit Wolle, das Spinnen, das Weben etc." Plaut. Merc. 520: „*De lanificio neminem metuo, una aetate quae sit*" i. e. „Was das Weben, Spinnen usw. anbetrifft, so fürchte ich keine Altersgenossin".

Hoc valet etiam in voce aedificii, quod ex Most. 115 sqq., quo loco solo hoc vocabulum in fabulis comoediae adhibetur, apparet. Philolachus de domo narrat: „*Si quid nummo sarciri potest, / usque mantant neque id faciunt, donicum / parietes ruont: aedificantur aedes totae denuo. / Haec argumenta ego aedificiis dixi: Nunc etiam volo / dicere ut homines aedium esse similis arbitremini. / Primumdum parentes fabri liberum sunt. / Ei fundamentum substruont liberorum . . .*" Non de aedibus, sed de aedibus struendis hoc loco agitur, id quod ex vocibus fabri et fundamenti substruendi satis aperte intellegi potest, praeterea aedificia aedibus manifeste obstiterunt; imago autem aedes struendi in liberos educandos translata est; vocabulo aedificii igitur inest vis „Häuserbau". Pluralis autem usurpatus est, quod Philolachus multas domus struendas spectaverat.

Quod de plurali vocis officii dixi, id etiam in plurali harum vocum valet. Pluralis diversa facinora beneficii et maleficii significat, quare idem valet atque benefacta vel malefacta. Deinde haec vis pluralis ad singularem refluxit, quam ad rem singularem vocis benefacti multum valuisse puto. — Pluralis vocis aedificii opera diversa aedificii significat, quae videlicet domus ipsae sunt.

hac voce imponimus, non sensisse, id quod etiam nequaquam miramur: „*Te enim, ut spero, propediem censorem audiemus, cuius magistratus officia, quae sunt maximi animi summique consilii, tibi diligentius et accuratius quam haec, quae nos de te agimus, cogitanda esse censeo.*“ In Plin. ep. 3, 5, 19 munera et operae amicorum hoc uno vocabulo solo vocantur: „*Ego autem tantum, quem partim publica, partim amicorum officia distringunt?*“

Cato eum, qui se ingratum praebet in eum, qui ei officia praestitit, officiperdum appellat, quae vox vocibus officii et perdendi formata eum significat, qui officia perdit; dist. 4, 42: „*Gratior officiis, quo sis mage carior, esto, ne nomen subeas, quod dicitur officiperdi.*“

Ex hoc usu vocis officii etiam aliae significationes oriuntur; hoc ex ea re est intellegendum, quod officia huius modi, ut infra illustrabimus, in vita Romanorum maximi momenti fuerunt. Proficiscamur a Balb. 63: „*Consilium hominis probavit, fidem est complexus, officia observantiamque dilexit.*“ Ex coniunctione concretae vocis officiorum et abstractae observantiae apparet haec vocabula eandem fere vim habere, deinde pluralem officiorum non iam ad quasdam et diversas operas spectare, sed universitatem officiorum, i. e. pluralem officiorum significare voluntatem vel virtutem eius, qui officia libenter praestat. Quod manifeste etiam ex hoc exemplo intellegere possumus epist. 11, 20, 1: „*Quod pro me non facio, id pro te facere amor meus in te tuaque officia cogunt, ut timeam.*“ Haec verba D. Brutus ad Ciceronem scribit. Bruti amori respondet Ciceronis animus, qui Bruto officia libenter praestabat. Quaedam operae his locis non respiciuntur. Itaque mirum non est, quod etiam singularis vocis officii animum vel virtutem eius, qui libenter officia praestat, significare. Cf. epist. 1, 7, 3: „*Praeterea quidem de consularibus nemini possum aut studii erga te aut officii aut amici animi esse testis*“; epist. 2, 19, 1: „*Accepi . . . litteras . . . scriptas humanissime, quibus facile et officium et ingenium tuum perspici posset.*“ Coniunctio vocabulorum officii et animi amici in illo et ingenii in hoc exemplo demonstrat voce officii animum eius, qui libenter officia praestat, appellari. Cf.

Phil. 2, 9. Nimirum haec vis officii nonnunquam inanis est neque aliam vim saepe habet nisi laudis, id quod praecipue in promptu est, cum epistulae vocantur plenae amoris, humanitatis, officii, diligentiae Att. 6, 1, 1; ad. Q. fr. 2, 13, 1. Vocabulum autem ‚officiositatis', quod hunc animum vel hanc virtutem optime significavisset, his temporibus non invenitur, sed primo a patribus ecclesiasticis adhibetur. Hanc vim voce nostra „Dienstbeflissenheit" non accurate convertimus; nam significatio debendi, quae vocabulo officii semper inest, voce nostra non significatur; vox autem nostra vocabulo studii optime respondet, quod animum vel virtutem significat, qui libenter aliis operas praestat, quae non ex religione quadam, sed voluntarie praestantur. Virtus autem eius, qui aliis ex religione quadam satisfacit, officium vocatur. Itaque persaepe haec vocabula coniuncta videmus epist. 13, 55, 2: „*Nam apud ipsum gratissimum hominem atque optimum virum quam bene positurus sis studium tuum atque officium, dubitare te non existimo.*"

Nimirum officium non modo virtutem eius, qui officia i. e. operas religiosas amicis praestat, sed etiam eius, qui omnino officio suo fungitur, quam virtutem lingua nostra „Pflichtgefühl" vocamus, significat. Nam nobis non obliviscendum est nos solos hoc discrimen in officio imponere. Cael. 55: „*Domus . . . illa . . . plena est integritatis, dignitatis, officii, religionis.*" Ex vocabulis, quae officium includunt, satis aperte intellegimus, quae vis officio hoc loco subsit. Cf. Verr. 1, 135: „*Virum primarium summo officio ac virtute praeditum.*" Epist. 11, 27, 4; Quinct. 99.

Cicero Atticum in 14, 7, 2, orat, ut filio suo consulat; nam „*id cum ad officium nostrum pertinet, tum ad existimationem et dignitatem . . .*" Vocabulo officii voces existimationis et dignitatis oppositae sunt; ut ex voce dignitatis apparet, existimatio idem valet atque fama; officium autem ad conscientiam spectat. Cf. Quinct. 53 et 66. Itaque fieri potest, ut etiam officium significet famam eius, qui officio suo fungitur religiose Att. 12, 19, 4: „*Vides et officium agi meum quoddam, cui tu es conscius . . .*"

Cum is, qui officia religiose servat, se fidum praestat et fides

alicuius hominis ex officio fungendo optime eluceat, vocabula fidei et officii satis crebro iuxta posita videmus. In epist. 13, 21, 2 Cicero Avianum quendam libertum laudat, quod in patronum singulari officio et fide sit. Cf. epist. 12, 25, 6; Cluent. 10; Mur. 65. In Sull. 58 Cicero patrem Sittii cuiusdam laudibus effert, quod in rem publicam Romanam singulari officio et fide exstiterit, cum ceteri finitimi defecissent. Officium in his exemplis a fide vix differt, cum fides, ut iam dixi, in officio posita sit.

Porro amicus, qui amico libenter officia praestat, hoc facere solet amore amici permotus; itaque amor amici in officiis summis libenter praestandis perspicuus est; propterea etiam voces officii et amoris persaepe coniunctas videmus. In epist. 3, 10, 10 Cicero Pompeium laudat: „*Si illa amoris atque officii signa, quid mihi ille non commisit? Quid non mecum communicavit?*“ et in epist. 3, 1, 2 litteras Appii Claudii vocat „*plenas et amoris et officii*“ i. e. „ein Brief, der die Neigung und das Wohlwollen des A. zu Cicero zeigt“. Cf. Att. 15, 11, 3 et ad Q. fr. 1, 4, 5. In epist. 4, 4, 4 Cicero dicit se constituisse in senatu semper tacere; sed consilium eius fregit „*et Caesaris magnitudo animi et senatus officium*“, i. e. animus amicus, quem senatus in Ciceronem demonstravit. Officium igitur vix ab amore differt[1]).

Cicero eum, cui virtus officii fungendi inest, hominem plenum officii appellat. Inde, quod elocutio „*plenus officii*“ persaepe adhibetur, intellegimus Romanos adiectivo, quod eum, cui haec virtus inest, vocat, indigere; hoc praecipue ex coniunctionibus huius modi

[1]) Hoc loco de Catulli carmine 75 nonnulla disseram. „*Huc est mens deducta tua, mea Lesbia, culpa / atque ita se officio perdidit suo, / ut iam nec bene velle queat tibi, si optuma fias / nec desistere amare, omnia si facias.*“ Catullus hoc carmine profitetur se amore Lesbiae ita captum esse, ut amare desistere non iam possit. Officium non fidem Catulli, ut Kroll, vir doctissimus, in commentario dicit, sed amorem eius significare puto, qui ex officiis eius omnibus pro Lesbia praestandis elucet. Haec interpretatio vocis officii mihi propterea recta esse videtur, quod hoc carmen non fidem Catulli, sed amorem solum spectat. Hoc cum Theogn. 1091, quem locum Kroll in commentario affert, congruit: „Ἀργαλέως μοι θυμὸς ἔχει περὶ σῆς φιλότητος“, quo loco vocabulo officii φιλότης respondet.

apparet epist. 13, 13, 1: „... *honestus, gravis, plenus officii, bonus plane vir* ...“; pet. cons. 28: „... *homo nequam, iners, sine officio, sine ingenio* ...“; nam his locis elocutio „*plenus officii*“ et „*sine officio*“ inter adiectiva scripta est. Dum officium nón virtutem significabat, adiectivo nimirum opus non erat; nunc autem adiectivum, ‚officiosus‘ formatum est; adiectiva enim, quae suffixi -osus ope formantur, abundantiam eius demonstrant, quod substantivo huius adiectivi significatur, ut ‚lapidosa‘ vocatur via, quae plena lapidum est, et homo ‚libidinosus‘, qui plenus libidinum est; quare homo ‚officiosus‘ est homo plenus officii. Hoc adiectivum de nullo homine usurpatur nisi de eo, qui officia i. e. operas ex religione praestandas religiose praestat, neque de eo, qui e. g. officiis muneris bene fungitur. Iuxta „*homo summo pudore, summo officio*“ (Verr. 1, 137) reperimus epist. 13, 21, 2: “*Hominem pudentem et officiosum cognosces* ...“ Cf. epist. 14, 2, 2: „*Nam ad me P. Valerius, homo officiosus, scripsit.*“ C. I. L. I 1038: „*Carfinia ... iucunda sueis [om]nibus officiosa fuit.*“ Is autem qui officia sua non praestat, inofficiosus appellatur Att. 13, 27, 1: „*Aliter enim fuissemus et in hos inofficiosi* ...“[1]).

Ex usu pluralis etiam ad aliam vim vocis officii pervenimus. Officia significare ea facinora, quae amicos ex necessitudine praestare oportet, supra vidimus. Et invenimus locos huius modi epist. 13, 7, 5: „*necessitudine, officiis, benevolentia coniunctissimum*“, epist. 10, 10, 2: „*amore, officiis, vetustate coniuncti*“, epist. 13, 32, 2: „*coniunctos vetustate, officiis, benevolentia.*“ Vocabula necessitudinis, benevolentiae, amoris, vetustatis non multum inter se distant neque quicquam aliud nisi necessitudinem significant. Sed inter has voces scriptum videmus pluralem voces officii, quem facinora quaedam significare constat, in quibus necessitudo

---

[1]) Etiam vox beneficii virtutem eius significare potest, qui libenter beneficia in alios confert epist. 11, 16, 2: „*L. Lamia praeturam petit. Hoc ego utor uno omnium plurimum; magna vetustas, magna consuetudo intercedit, quodque plurimum valet, nihil mihi eius est familiaritate iucundius. Magno praeterea beneficio eius, magnoque merito sum obligatus.*“ Hoc loco non de facinore quodam Lamiae, sed de virtute eius, qui libenter beneficia aliis praebet, agitur.

posita est. Sed cum pluralis idem fere valeat atque voces abstractae, inter quas hic scriptus est, etiam singularem huius vocabuli eandem vim habere posse mirum non est. Quam facile haec vis oriri potuerit, mihi ex his exemplis perlucide apparere videtur. Planc. 46: „ . . . *quos tu si sodales vocas, officiosam amicitiam nomine inquinas criminoso.*“ Amicitia officiosa est ea, quae officiis mutuis constituta est. Sulla 6: „*Non enim iam se ullo officio cum illo coniunctum arbitrabatur, cum ille tanto scelere commisso omnium officiorum societatem diremisset.*“ Hoc loco singularis vocis officii idem valet quod elocutio„*omnium officiorum societatem.*“ Praeterea elocutio „*ullo officio cum illo coniunctum*“ prorsus elocutionibus supra allatis „*necessitudine, officiis, benevolentia coniunctissimum*“ etc. congruit. Sed hoc loco singularis pro plurali scriptus est. Cf. dom. 28: „*Hanc nostram coniunctionem... vitae atque officiorum omnium societatem . . .*“ Haec vis vocis officii a necessitudine ea re sola differt, quod officium nihil aliud est nisi necessitudo officiis constituta. Verr. 3, 6: „*Mitto iam rationem officii mei necessitudinisque Siculorum.*“ Verr. 1, 137: „ . . . *qui nunquam ulla condicione istam turpitudinem subissent, nisi officii necessitudinisque ratio coegisset.*“ Ex hoc exemplo significationes vocabulorum officii et necessitudinis aperte intellegi possunt; necessitudo inter Ciceronem et Siculos constat, quod ille in Sicilia quaestor fuerat, officium, quod cum Siculis officiis mutuis coniunctus erat. Huc spectat Sest. 8: „*Impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam ...*“; hoc loco officium pro necessitudiue adhibetur, quae ex communi inter Ciceronem et Antonium consulatu constabat.

Adhuc vidimus eum, quem officiis fungi oportet, religione quadam obstrictum esse, id quod ad officia et consanguineorum et amicorum et magistratuum pertinet. Sed quo pertinet ad Q. fr. 2, 2, 2? „*De aedificatione tua Cyrum urgere non cesso. Spero eum in officio fore.*“ Cyrus est faber quidam aedium, cui Q. Cicero mandavit, ut sibi domum aedificaret. Officium videlicet non religione, sed foedere privato nititur, quod inter Cyrum et Q. Ciceronem factum videtur esse. — Cicero, quod pecunia indigebat, Pisoni

et Avio argentariis mandavit, ut vasa sua argentaria venderent; qua de re ad Atticum scribit 13, 4, 2: „*Si quid poteris, cum Pisone conficies; Avius enim videtur in officio futurus.*“ Hoc est: Avius foedus privatum conservaturus videtur. His igitur locis usus vocis officii ad ius privatum refertur.

Officium etiam in iure publico usurpatur. Hac sententia officium a Caesare saepe adhibetur. Qui se in Galliam profectum non esse, ut Gallos subiceret, sed Galliam pacaret, simulabat, quod Galli a Romanis in numero subiectorum habebantur. Galli autem, qui se ab impetu eius defendebant, in numero a Romanis deficientium habebantur; itaque Caesar Labieno legato mandat. Gall. 3, 11, 2: „*Remos reliquosque Belgas adeat atque in officio contineat*“; nam Caesar opinabatur Remos et reliquos Belgas ex iure publico rei publicae Romanae parere oportere. Cf. Gall. 5, 4, 2: „... *consolatus Indutiomarum hortatusque est, ut in officio maneret.*“ Cf. Gall. 5, 3, 6; 6, 8, 9; 8, 47, 2. Quomodo officium hanc vim accipere potuerit, optime ex hoc exemplo apparet Caes. Gall. 5, 3, 3: „.. *ex quibus alter .. ad eum* (i. e. ad Caesarem) *venit se suosque omnes in officio futuros neque ab amicitia populi Romani defecturos confirmavit.*“ Nam elocutioni „*in officio esse*“, respondet elocutio „*ab amicitia deficere.*“ Romani igitur simulabant Gallos in officio i. e. in amicitia Romanorum esse et ea de causa officiis suis fungi oportere; nam officium ad amicitiam spectare demonstravi. Cf. Caes. Gall. 1, 40, 2: „*Ariovistum se consule cupidissime populi Romani amicitiam adpetisse; cur hunc tam temere quisquam ab officio discessurum iudicaret.*“ Exempla modo allata specie ab hoc exemplo non differunt epist. 14, 1, 5: „*Si erunt in officio amici, pecunia non deerit.*“ Quod Romani in amicitia Gallorum ius posuerunt, etiam officium ad ius referendum est. Officium hac vi non usurpatur, nisi a praepositione pendet. His locis officio vis fere oboedientiae subest, pro qua voce officium ipsum semel adhibetur. In Gall. 4, 1, 9 Caesar de vitae ratione Sueborum narrat: „*cum a pueris nullo officio aut disciplina adsuefacti nihil omnino contra voluntatem faciant.*“ Voces officii et disciplinae eandem fere vim habent; nam narratur Suebos a

pueris nemini obtemperare solere, sed facere, quae velint. Liberi autem obtemperantes officiis suis, quae parentibus debent, funguntur; itaque oboedientia liberorum cum officio congruit.

Postremo aliam vim vocis officii afferam, quam his locis solis inveni. Auct. ad Her. 2, 32: „*Omnes, qui in paupertate sunt, malunt maleficio parare divitias quam officio paupertatem tueri.*“ Vox officii hoc loco vocabulo maleficii obsistit et habet vim recte faciendi. Melius autem maleficio nimirum beneficium respondisset; sed quod huic vocabulo vis „Wohltun“ inciderat, officium usurpatum est pro beneficio. Alterum exemplum ab eodem scriptore brevi ante scriptum videmus 2, 25: „*Hic ignoscendi ratio quaeritur ex his locis, si plura aut maiora officia quam maleficia videbuntur constare.*“ Pluralem „*officia*“ facinora bona, maleficia autem facinora mala significare supra demonstrare conatus sum. Haec vis officii inde intellegenda est, quod is, qui bene facit, non ab officio recedit, sed in officio manet; officium huius a bene faciendo non distat.

Fine huius partis nobis est quaerendum, quae officia erga deos praestare debemus. Equidem puto nos hac tractatione intellexisse, quod esse responsum oporteret; nam Romani deis ratione iuris utuntur, id quod formula „*do ut des*“ significamus, officium autem ad ius non pertinet. Itaque officia non esse possunt, quae nobis erga deos fungenda sunt. Hanc rationem Cicero recte significat inv. 1, 2: „*... nondum divinae religionis, non humani officii ratio colebatur.*“

Caput IV.

Quae fuerint Caesarum aetate vis atque usus vocabuli officii.

Pauca verba nobis facienda sunt, quae fuerint Caesarum aetate vis atque usus vocis officii. Usus huius vocis nimirum paulum commutatus est, quia tempora et cum iis ea, quae Romani petebant, commutata sunt.

Iam supra p. 21 illustravi primam fere atque propriam vim huius vocabuli rursus in lucem proferri.

Identidem prius dixi officium significare partes, quibus fungi omnes ex fine partium oportet. Haec significatio vocis officii, quae a primaria vi non longe distat, etiam his temporibus invenitur. Quint. inst. 1, pr. 21: „*Nam liber primus ea, quae sunt ante officium rhetoris, continebit.*“ Id. 10, 1, 3: „*Nam certe, cum sit in eloquendo positum oratoris officium, dicere ante omnia est ...*“ Id. 8, 5, 35: „*Horum tradere praecepta et grammatici solent. Sed a me, cum de illorum officio loquerer, dilata pars haec est ...*“ Haec vis a Quintiliano persaepe adhibita est, de quo longius disserere mihi opus non est, cum de hoc usu supra tractaverim. Magni momenti est hic locus Quint. inst. 1, 4, 10, quo de vocalibus dicit „... *si non aliquae officio consonantium fungantur.*“ Nam hoc loco aperte officium pro partibus usurpatum est, id quod supra identidem dixi. Etiam apertius hoc est intellegendum in Hor. a. p. 312 sqq., quo loco utraque vox inter se miscetur. „*Qui didicit ... quod sit conscripti, quod iudicis officium, quae / partes in bellum missi ducis, ille profecto / reddere personae scit convenientia cuique.*“ Idem in v. 193 sq. scriptum videmus: „*Actoris partes chorus officiumque virile defendat.*“

Iam Caesar officium pro munere vel negotio publico adhibuit. Quomodo hoc fieri posset, etiam supra tractatum est. Haec vis vocis officii nimirum etiam his temporibus invenitur, quin etiam omnes fere alias significationes superavit. Latissime haec vis patet in Suet. Tib. 15, ubi officium et munus miscentur: „*Privata modo officia obiens ac publicorum munerum expers.*“ Cf. Tac. Agr. 25: „*Ceterum aestate, qua sextum officii annum incohabat, amplexus civitates ...*“ Officium est hoc loco pro legatione vel administratione dictum. Id. dial. 6, 3: „*Idque scire non pecuniae, non orbitati, non officii alicuius administrationi, sed sibi ipsi dari?*“ Non modo munera militaria, sed etiam domestica appellantur officia. Suetonius narrat Augustum, ut quam plurimi Romani rei publicae operam darent „*nova officia*“ excogitavisse (Aug. 37) et Tiberium „*novum officium a voluptatibus*“ instituisse. Deinde officium idem valet atque negotium, quod ex munere oritur. Suet. Aug. 13: „*Partitis post victoriam officiis cum Antonius Orientem ordinan-*

dum, ipse veteranos in Italiam reducendos ... recepisset ...“ Tit. 6: „*... receptaque ... omnium officiorum cura, cum patris nomine et epistulas ipse dictaret et edicta conscriberet ...*“

Quod his temporibus, quibus cives Romani rebus privatis solis operam dabant, officium etiam munus privatum significat, mirum non est. Scriptum igitur videmus Petr. 30: „*... exclamavit unus ex pueris, qui super hoc officium erat positus: dextro pede*“ aut 31: „*Ac ne in hoc quidem ⟨servi⟩ tam molesto tacebant officio, sed obiter cantabant.*“ Officium his locis eandem vim habet atque ministerium. Itaque haec vocabula inter se commiscentur Curt. 4, 3, 18: „*Miles ministeria nautarum, remex militis officia turbabat et ... periti ignaris parebant.*“ Etiam officium de omnibus negotiis privatis dictum est. Petr. 107: „*Me, ut puto, hominem non ignotum elegerunt ad hoc officium petieruntque, ut se reconciliarem aliquando amicissimis.*“ Id. 63: „*... nos cluso ostio redimus iterum ad officium.*“

Denique officium personas significat, quas officio fungi oportet. Script. hist. Aug. Gall. 17, 8: „*... cum iret ad hortos nominis sui, omnia palatina officia sequebantur*“ (nos: geleitete ihn das gesamte Büro). Iuv. 10, 43 sqq.: „*Da nunc et volucrem, sceptro quae surgit eburno, / illinc cornicines, hinc praecedentia longi / agminis officia et niveos ad frena Quirites ...*“[1])

Postquam officium vim muneris accepit, novum adiectivum ‚officialis‘, quod ad hanc vim pertinet, formatum est. Hoc adiectivum eo loco, quo id primum scriptum videmus, pro substantivo usurpatum significat ministrum aedilis cuiusdam Apul. met. 1, 25: „*⟨aedilis⟩ et profusa in medium sportula iubet officialem suum insuper pisces inscendere ac pedibus suis totos obterere.*“ Hoc adiectivum maxime a ministris magistratuum dictum est. Cf. C. I. L. V 7920: „*... decurionibus et VI vir. Aug. urbanis et officia-*

[1]) Vis subiectiva „Pflicht“, ut Polstorff (Progr. Guestrow) demonstravit, a Juvenale non iam adhibetur. Sed Skutschio arbitrato ex hoc obiectivo usu ad peculiarem vim concludi posse (Glotta III p. 377) assentiri non possum; nam officium hanc obiectivam vim, ut demonstrare conatus sum, multis commutationibus significationis factis accepit.

libus sportulas XII divisit ..." Cf. Script. Hist. Aug. Carac. 6, 7. Cuius adiectivi loco a Petronio adiectivum ,officiosus' adhibitum est de eo, qui munere quodam fungitur, cum illo adiectivo careret. 92: „*At ego ne mea quidem vestimenta ab officioso recepissem, nisi notorem dedissem.*" Officiosus appellatur is, qui in balneo vestimenta lavantium custodiebat et aliter balnearius appellari solet. Substantivum custodis ad ,officioso' adicere opus non esse puto. Cum adiectivum ,officialis' pro substantivo adhibeatur, etiam adiectivum, ,officiosus' eodem modo usurpari potest. Tertullianus adiectivum ,officialis' transtulit adv. Marc. 1, 25: „*Proinde enim aemulationi occurrant necesse est officialis suae in ea, quae aemulatur, ira, discordia, odium, dedignatio ...*" Apud Lactantium hoc adiectivum etiam ad vim „Pflicht" refertur; nam hic Ciceronis libros, qui „*de officiis*" inscribuntur, his verbis citat divin. inst. 6, 11, 9: „*Marcus Tullius in suis officialibus libris ...*"

Vocabulum officii etiam his temporibus ad omnes operas significandas adhibetur, quae ex more aut amicitia praestantur[1]). Quae officia non iam eadem esse atque ea, quae Cicero atque aequales eius praestiterunt, manifestum est et ex condicione rei publicae mutata apparet. Nam aliquando vita Romanorum in studio rei publicae posita erat; tum autem rebus privatis solis operam dabant. Qua de re infra plura disseram. Nunc autem dicturus sum, quo modo vis vocis officii hoc usu commutata sit.

Primo me dicere oportet officium non iam pro vi officiositatis et raro — unum locum inveni Tac. hist. 3, 58 — pro voce necessitudinis usurpari, quas significationes aliquando satis crebro invenimus. Sed aliae quoque significationes ortae sunt. Ut postea intellegemus, praecipuum amicorum officium fuit p o m p a e et c a e r i m o n i i s, quae celebrantur, si puer, ut exemplum afferam, togam virilem induit, interesse. Itaque saepe pompa et caerimoniae ipsae officia vocantur. Plin. ep. 1, 9, 2: „*Officio togae virilis interfui.*" I. e. ea re, quod pompae interfui, quae die togae virilis erat, officium meum praestiti. Cf. Suet. Claud. 2, 2: „*⟨Claudius⟩ togae virilis die*

[1]) Hac vi officium in novo testamento usurpatur pro voce Graeca ,λατρεία', cf. H. v. S o d e n: Das lat. neue Testament in Afrika zur Zeit Cyprians p. 149 et 338.

circa mediam noctem sine sollemni officio lectica in Capitolium latus est." Suet. Cal. 25, 1: „*Liviam Orestillam C. Pisoni nubentem, cum ad officium* (= ad caerimonias nuptiarum) *et ipse venisset ad se deduci imperavit.*" Cf. Suet. Claud. 26, 3; Nero 28, 1; Script. hist. Aug. Ant. 7, 10. Hae caerimoniae videlicet hactenus officia vocantur, quoad amici ea re, quod iis intersunt, officia praestant.

Ultimum officium, quod amicus amico praestare potest, est s e p u l t u r a e consulere et interesse; itaque hoc officium plerumque supremum officium vocatur. Sen. ep. 92, 35: „*Neminem de supremo officio rogo. Nulli reliquias meas commendo.*" Tac. ann. 5, 2: „*At Tiberius, quod supremis in matrem officiis defuisset ... magnitudinem negotiorum per litteras excusavit.*" Cf. Petr. 112; Tac. hist. 3, 25.

Ut officium personas, quae munere funguntur, significat, ita hoc vocabulo etiam ii vocantur, qui officia s a l u t a n d i, d e d u c e n d i etc. praestant. Plin. pan. 76, 9: „*Ipsius* (i. e. Traiani) *quidem officium tam modicum, tam temperatum* (i. e. Traianum officii causa tam pauci comitabantur), *ut antiquus aliquis magnusque consul sub bono imperatore incedere videretur.*" Cf. Iuv. 6, 203; Apul. met. 4, 26.

Haec officia in imperatores quoque praestantur, qua de causa vim v e n e r a t i o n i s accipiunt. Hoc praecipue ex Tac. hist. 2, 1 intellegitur: „*Titus causam profectionis officium erga principem ... ferebat.*" Cum hoc loco comparandum est hist. 1, 10: „*... quippe ⟨Vespasianus⟩ Titum filium ad venerationem cultumque eius* (i. e. Galbae) *miserat ...*" Hoc loco manifestum est vocabula venerationis et cultus idem valere quod officii in hist. 2, 1. Cf. Suet. Aug. 61, 2: „*Utrique cum praecipua officia vivae praestitisset, etiam defunctae honores maximos tribuit.*" Hic vocabulum officii cum voce honorum aperte congruit. Tacitus narrat ann. 2, 1, Phraatem „*cuncta venerantium officia*" ad Augustum vertisse et ann. 2, 42 „*regem Archelaum Tiberio invisum fuisse, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset*" et ann. 1, 24 Druso propinquanti „*quasi per officium*" (i. e. quasi honoris causa) obvias fuisse legiones. Cf. Tac. hist. 1, 74; Suet. Cal. 22. 1; Iul. 82, 1.

Obscene hoc vocabulum est de concubitu dictum Petr. 140: „*Matrona inter primas honesta Philomela nomine, quae multas saepe heredidates officio aetatis extorserat . . .*“ Prop. 2, 22, 23 sq.: „*Saepe est experta puella / officium totà nocte valere meum.*“ Cf. Ov. am. 3, 7, 24; Claud. 18, 36, 8. De origine huius significationis Seneca rhetor contr. 4 praef. 10 disserit: „*Impudicitia in ingenuo crimen est, in servo necessitas, in liberto officium; res in iocos obiit: „non facis mihi officium“ et „multum ille huic in officiis versatur“, ex eo impudici et obsceni aliquamdiu officiosi vocati sunt.*“

Substantivum ‚officiositatis‘ ab adiectivo ‚officiosus‘ formatum, cui ex vi adiectivi significatio „Dienstbeflissenheit“ est, primo a patribus ecclesiasticis adhibitum est. Cuius vocabuli loco, quod iam Ciceronis temporibus usurpari potuit, illis temporibus vox officii ipsa, ut supra vidimus, adhibita est. Sidon. carm. 23, 478 sqq.: „*Seu nos eximii simul tenebat / nectens officiositas Marini, cuius sedulitas sodalitasque / aeterna mihi laude sunt colendae.*“

Denique elocutiones „*in officio esse*“, „*in officio manere*“ pro elocutionibus „*in fide esse*“, „*in fide manere*“ etiam his temporibus inveniuntur. De origine huius significationis supra p. 41 satis dixi. Tac. ann. 3, 42: „*Paucique equitum corrupti, plures in officio mansere.*“ Id. ann. 1, 48: „. . . *postquam maiorem legionum partem in officio vident.*“ Cf. Tac. hist. 1, 18; Suet. Iul. 69; Suet. Galba 10, 5. Tac. ann. 12, 32 scriptum videmus „*subsidium adversus rebelles et imbuendis sociis ad officia legum*“, i. e. „zum Gehorsam gegen die Gesetze“.

Caput V.

Quae fuerint Ciceronis temporibus officia amicorum.[1])

Hoc capite illustrare conabimur, qua in re gravitas officiorum posita sit et quem officia praestare oporteat et quae fuerint gravissima officia. De iis igitur officiis, quae amici amicis ex necessi-

[1]) De hac re Matthias Gelzer: Die Nobilität der römischen Republik p. 43 sqq. et R. Reitzenstein: Zur Sprache der lateinischen Erotik (Sitzungsber. d. Heidelb. Akad. 1912) p. 15 sqq. disseruerunt.

tudine praestare debent, agitur. Officia et necessitudines in vita Romanorum plurimum valuisse Ciceronis cum orationes tum epistulas legentes intellegimus. Nam in his vocabula officii et necessitudinis tam crebro inveniuntur, ut hoc ex nulla re nisi ex gravitate officiorum intellegi possit. Hoc etiam inde apparere mihi videtur, quod ex hac vi aliae significationes, ut supra vidimus, ortae sunt. Cui rei optimo testimonio est, quod Cicero ipse de his dixit Planc. 81: „*Cuius opes tantae esse possunt aut umquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint?*" Num apertius dici potest, quantum officia in vita Romanorum valuerint? Quomodo id fieri potest? Amicitiae et omnibus temporibus et apud omnes populos fuerunt et amicos inter se adiuvare et officia praestare semper consentaneum fuit et erit. Qua de causa officia praecipue Romanorum propria esse possunt? Omnium antiquorum populorum Romani sunt is populus, qui plerumque studebat quam maximam potentiam sibi comparare[1]). Hoc pertinet cum ad totum populum tum ad unumquemque civem. Quod de populo Romano dici posse R. Heinze vir doctissimus demonstravit neque huius libelli est de hac re disserere. Sed etiam in unoquoque cive inerat summum studium quam plurimum in re publica valere. Quem hoc ea re consequi constat, quod curriculo munerum quaesturae, aedilitatis etc. finito in senatum perveniebat; nam senatus erat id collegium, penes quod stabilis potentia erat, qua de causa ex auctoritate apud Romanos plurimum valebat. Quantum fuerit studium rei publicae capessendae, non satis premi potest. Nam in re publica quam plurimum valere — hoc nos iure dicere posse puto — unicum atque supremum studium Romanorum erat, cum studium nostrum his temporibus in satis multas res divisum sit. Ad omnes res rei publicae quam plurimum valere est id, quod Romani vocabulo dignitatis significant. Itaque est praecipuum atque supremum officium Romanorum dignitati amicorum servire et eam, quibuscumque officiis possunt, tueri et augere. Itaque Cicero ad Plancum scribit epist. 10, 1, 3:

[1]) R. Heinze: Von den Ursachen der Grösse Roms, p. 15 sqq.

„*Tuae dignitati ita favemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus*“ et 10, 2, 2: „*... ne in publicis quidem, si quid erit, in quo me interesse necesse sit, umquam deero ne cum periculo quidem meo dignitati tuae.*“ Licinio Crasso Cicero in epist. 5, 8 identidem pollicetur summum studium in omnibus officiis, quae ad honestatem et gloriam eius spectant, et sperat familiares Crasso iam saepe scripsisse, quomodo adhuc dignitati Crassi servisset; quin etiam totis litteris de nulla re scribit nisi de eo, quod ad dignitatem Crassi perfecerit. In epist. 5, 5, 2 Cicero de Antonio queritur, quod summa eius officia desideret, quamquam omnia profecerit, quae ad commodum, honorem, dignitatem eius pertinerent. Cf. epist. 3, 4, 1; epist. 11, 5, 3; Mur. 69. Postremo hoc Cicero respicit in libro ‚de amicitia‘ inscripto § 73: „*Non enim neque tu possis, quamvis excellas, omnes tuos ad honores amplissimos perducere*“, quibus verbis profitetur singulare officium amicorum esse dignitatem et honorem amici amplificare.

Quanam autem ratione Romani id, quod vehementissime petunt, consequi solebant? Si quid his temporibus in re publica nostra valere in animo habemus, nos aliquam factionem sequi oportet, cuius ope in concilium imperii pervenire solemus. Aliter Romae illis temporibus res se habuit. Factionibus, quibus nos utimur, Romani carebant. Harum autem loco inter Romanos erant necessitudines, quae dicuntur. Quam vocem vocabulo nostro „private Interessengemeinschaft“ optime convertere possumus. Quae quantum in vita Romanorum valuerint, apparet ex Cic. Sext. Rosc. 111: „*Non enim possumus omnia per nos agere; alius in alia est re magis utilis. Idcirco amicitiae comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur.*“ Etiam in Lael. 58 Cicero dicit alteram esse sententiam, quae definit amicitiam paribus officiis et voluntatibus, et in Lael. 49 in amicitia nihil iucundius putat quam remunerationem benevolentiae et vicissitudinem studiorum et officiorum. Porro huc pertinet Lael. 26, ubi Cicero quaestionem facit, utrum propter imbecillitatem atque inopiam desiderata sit amicitia, ut dandis recipiendisque meritis, quod quisque minus

per se ipse posset, id acciperet ab alio vicissimque redderet. Itaque Cicero iure dicit Lael. 64: „*Verae amicitiae difficillime reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publica versantur.*“ Consensio harum sententiarum elucet et manifestum est Ciceronem, etiamsi has sententias de amicitia factas et improbat et repudiat, res Romanas spectavisse et improbationem ad philosophiam solam pertinere neque usum doctrinam confirmavisse. Cf. off. 1, 22. In off. 2, 4: Cicero dicit: „*Tantum erat philosophiae loci, quantum superfuerat amicorum et rei publicae temporibus.*“ Nam studium amicorum pertinebat ad rem publicam capessendam neque a studio rei publicae differebat, ut res obiter spectanti videri potest.

Quam late diffusae saepe fuerint necessitudines, duobus exemplis illustrare conabimur. L. Lamia „*Clodianis temporibus*“, ut Cicero dicit, de Cicerone optime meritus est, quare a Gabinio consule etiam ex urbe relegatus erat. Qui cum anno a. Chr. n. 43 praeturam peteret, Ciceroni erat facultas data gratiae referendae atque eum praeturam petentem adiuvandi. Cicero igitur nonnullis Lamiae epistulis admonitus, id quod iure putare nobis licet, ad D. Brutum amicum litteras (epist. 11, 16) misit, in quibus hunc orabat, ut cum iis centuriis equitum, quae ei parerent, Lamiae petitioni studeret et ipse ad Lupum scriberet, ut etiam ille cum suis centuriis equitum Lamiam adiuvaret. Qua epistula ad D. Brutum scripta Lupus et equites eius petitioni Lamiae, quamquam iis Lamia ipse nequaquam cordi fuisse verisimile est, operam dederunt. Intellegimus igitur telas amicitiarum, ut ita dicam, de populo Romano expassas esse. Nimirum Lamia, priusquam praeturam petebat, etiam de multis aliis bene meritus erat, quibus petitio eius erat apta facultas gratiae referendae. — In epist. 13,8 Cicero M. Rutilium orat, ut Albino senatori quam optime consulat, quod Publius Sextus, amicus suus, se hoc oraverit. Non modo non Rutilius, sed ne Cicero quidem cum Albino aliqua necessitudine coniuncti erant; attamen hi necessitudine alia coacti erant Albinum senatorem adiuvare. Cum Cicero consulatum peteret, frater ad eum litteras misit, quibus huic nonnulla praecepta dabat, quomodo temporibus petitionis se haberet. In his litteris cum alia tum haec

scribit § 29: „*Quam ob rem omnes centurias multis et variis amicitiis cura ut confirmatas habeas.*“ Omnibus ex his exemplis apparet, quam ingentis momenti necessitudines in vita publica Romanorum fuerint. Itaque Cicero dicit Sext. Rosc. 111: „*Quam* (i. e. fidem amici) *qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium et, quantum in ipso est, disturbat vitae societatem.*“ Ex verbis autem modo allatis aliam in partem cognoscimus, quae mala insint his necessitudinibus. Nam videmus, quam impediti fuerint Romani magistratum creantes, et quantopere necessitudinum ratione fuerint alligati. Quod non modo ad magistratum creandum, sed etiam ad plurimas alias occasiones pertinet.

Hae necessitudines a patribus ad liberos procedebant et ab his novis officiis colebantur. Cf. epist. 6, 16: „. . . *repeterem initia amicitiae ex parentibus nostris, quod faciendum iis existimo, qui paternam amicitiam nullis ipsi officiis prosecuti sunt.*“ Cf. Planc. 47.

Nobis nunc est quaerendum, quem officia praestare oporteat. Apertum est servos, libertos, clientes domino vel patrono officia praestare oportere, quorum officia potius ministeria vocanda sunt, cum non religione, sed condicione permoti officia praestent. Itaque Seneca dicit benef. 3, 18, 1: „*Ministerium esse servi, quem condicio sua eo loco posuit, ut nihil eorum, quae praestat, imputet superiori.*“ Hoc nimirum non modo ad servos, sed etiam ad clientes et libertos pertinet. Neque enim umquam fieri potuit, quin cliens aut libertus voluntati patroni obsequeretur. Itaque Seneca eodem loco iure dicit „*officium esse filii, uxoris, earumque personarum, quas necessitudo suscitat et opem ferre iubet.*“ Nam supra demonstravimus officia dicta esse de iis operis, quae ex religione quadam praestantur. Filii autem et uxores et ceteri consanguinei pietate alligati sunt, ut officia praestent.

Eadem autem lege etiam omnes a m i c i obstricti sunt. Itaque Cicero ad Lentulum scribit epist. 1, 1, 1: „*Ego omni officio ac potius pietate erga te ceteris satisfacio omnibus, mihi ipse nunquam satisfacio; tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum, ut . . .*“, et Plancus ad Ciceronem epist. 10, 23, 7: „*Opto, ut mihi liceat iam praesenti pietate meorum officiorum tua beneficia*

tibi facere iucundiora." Cf. Mil. 100; epist. 6, 14, 1. Etiam fides amicos admonebat, ut officia praestarent; nam epist. 16, 17, 1 scriptum videmus: „*Unde in istum locum* „*fideliter*" *venit? Cui verbo domicilium est proprium in officio.*" Praecipue amici animo grato obstricti sunt. Quare Q. Cicero fratrem admonet § 19: „*Quare hoc tibi faciendum est, . . . ut intellegant nullum se umquam aliud tempus habituros referendae gratiae*" et M. Cicero queritur epist. 5, 5, 2: „*Ego si abs te summa officia desiderem, mirum nemini videri debeat. . . . Pro his rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam tu es optimus testis.*" Moralibus igitur legibus amici officia praestare obstricti sunt. Itaque si alter amicus scelus grave commisit i. e. dignitatem suam laesit, necessitudo soluta est neque iam alter amicus pietate obstrictus est officia servare. Sulla 6: „*Non enim iam se ullo officio* (i. e. necessitudine officiis constituta) *cum illo coniunctum arbitrabatur, cum ille tanto scelere commisso omnium officiorum societatem diremisset.*" Cicero etiam Lael. 76 profitetur nonnunquam necessarium esse amicitias dimittere, si amici vitia in amicos ipsos vel in alienos committunt.

Sed Romani nomine amici prodige atque profuse usi sunt; nam pet. cons. 16: „*Hoc nomen amicorum in petitione latius patet quam in cetera vita. Quisquis est enim, qui ostendat aliquid in te voluntatis, qui colat, qui domum ventitet, is in amicorum numero est habendus.*" Nimirum haec verba Q. Ciceronis non modo in petitione, sed etiam im omnibus rebus publicis valent. Quomodo persaepe amici parti sint, scriptum videmus pet. cons. 16. „*Amicorum studia beneficiis et officiis et vetustate et facilitate et iucunditate naturae parta esse oportet.*" Itaque Cicero Plancum (Planc. 47) defendit eum multos amicos, qui se in petitione adiuvissent, sibi comparavisse, quod multis benigne fecisset, pro multis spopondisset, in operas plurimos patris auctoritate et gratia misisset, quod denique omnibus officiis per se, per patrem, per maiores suos totam Atinatem praefecturam comprehendisset. Nam ii, qui beneficia vel officia acceperunt, inviti in necessitudinem veniunt, ut supra dixi, et officia praestare obstricti sunt. Cf. epist. 13, 29, 8: „. . . *Capitonem . . . ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio*

adiunxeris." Cf. epist. 6, 6, 1: „*Vereor, ne desideres officium meum, quod tibi pro nostra et meritorum multorum et studiorum parium coniunctione deesse non debet.*" Cf. epist. 11, 22, 1; inv. 2, 168; Deiot. 39. Itaque apud Publilium Syrum fr. 48 iure scriptum videmus: „*Beneficium accipere libertatem est vendere.*" Nam ii, qui pro beneficiis gratiam non acceperunt et officia alterius desiderabant, profitebantur et officia postulabant. Propterea Cicero in Antonium invehitur se officia eius desiderare, quamquam omnia ad dignitatem eius fecerit. Cf. epist. 5, 2, 10; 5, 6, 3; 7, 26, 1. Nam ea re, ut supra dixi, officia a beneficiis differunt, quod illae sunt operae, quas ex religione quadam praestari oportet, qua de causa postulari possunt, hae autem sunt operae voluntariae. Itaque officiis videlicet minor honor inest quam beneficiis, id quod apparet ex epist. 1, 7, 2: „*Nam nostra propugnatio ac defensio dignitatis tuae propter magnitudinem beneficii tui fortasse plerisque officii maiorem auctoritatem habere videatur quam sententiae.*" Propterea is, qui operas alterius praedicare vult, has beneficia aut merita vocat, etiamsi re vera officia sunt. Epist. 11, 17, 1: „*Magna eius in me, non dico officia, sed merita* ..."; cf. epist. 12, 29, 1. Praecipue nimirum modestiae causa amici saepe operas alterius beneficia, suas autem officia vocant Phil. 13, 7: „*Accedunt eodem multa privata magna eius in me merita, mea quaedam officia in illum.*" Cf. epist. 1, 1, 1 et 10, 23, 7. At contra is, qui in aliquem invehi vult, beneficia huius officia vocat, suas autem operas beneficia. Caes. civ. 1, 34, 3: „*Quos ... Pompeius erat adhortatus, ne nova Caesaris officia veterem suorum beneficiorum in eos memoriam expellerent.*"

Vim moralem, id quod nos iam intellexisse puto, in necessitudine Romanorum et in officiis pluris aestimare nobis non licet. Quod ut illustremus, nobis litterae a Cicerone ad Crassum scriptae (epist. 5, 8), in quibus de Crassi amicitia ita dicit, ut sincerior amicitia nunquam fuisse videatur, et se perpetuo Crassi familiarissimum futurum esse confirmat, legendae et cum iis verbis comparandae sunt, quae paulo ante ad Atticum de eodem scripserat. Att. 4, 13, 2: „*O hominem nequam.*" Ciceronem has familiares litteras ad Crassum, qui ei semper maximo odio erat, propterea scripsisse

puto, quod Crassi auxilio in quadam re indigebat; quae fuerit haec res, nescimus. Hoc etiam cum ex aliis epistulis tum ex epistulis ad Appium Claudium scriptis in promptu est, qui ei saepe multas angustias paraverat; at Cicero etiam atque etiam confirmat se Pulchri familiarissimum esse. Si explorare possemus, quos Cicero amicos appellavisset, neminem civium Romanorum, qui tum erant, defuturum esse puto. Ut amicitiae huius generis celeriter initae sunt, ita celeriter saepe dissolutae sunt; itaque Cicero Lael. 85 queritur, quod „*implicati ultro et citro vel usu diuturno vel etiam officiis repente in medio cursu amicitias exorta aliqua offensione disrumpimus*“, quod enuntiatum res Romanas aperte respicit neque ad doctrinam pertinet.

Officia non semper libenter praestabantur, saepe etiam exprimebantur, ut Sest. 10 demonstrat: „*Non recito decretum officio aliquo expressum vicinitatis aut clientelae aut hospitii aut ambitionis aut commendationis gratia* . . .“ Romani, ut necessarios ad officia permoveant, multa experiuntur. Saepissime et semper fere in iis epistulis, in quibus officium optant, officia et sua et amici commemorare solent. Appius Pulcher, quod Cicero haec commemorare in nulla epistula praetermittebat, indignabatur et orabat vel potius postulabat, ut Cicero hoc praetermitteret; nam Cicero scribit epist. 3, 5, 1: „*Scribis enim, quae de nostris officiis ego ad te scripserim, etsi tibi iucunda fuerint, tamen, quoniam ex alto repetita sint, non necessaria te putasse.*“ Haec clara verba demonstrant necessitudinem horum virorum, quam Cicero praedicat, non intimam fuisse. Alia via Cicero utitur ad Atticum scribens Att. 2, 25, 1: „*Cum aliquem apud te laudaro tuorum familiarium, volam illum scire ex te me id fecisse, ut nuper me scis scripsisse ad te de Varronis erga me officio* . . .“ et pergit se hoc propterea optare, non quod hic re vera de se bene meruerit, sed ut officia, quae desideret, praestet. Cicero, ut modo dixi, nullam fere occasionem praetermittit, in qua non officia sua commemorat, ut hac re amicos ad nova officia excitet. Hic autem usus nequaquam doctrinae, quam in suo de amicitia libro exponit, congruit; nam § 71 dicit plerosque amicos semper aliquid queri aut etiam ex-

probrare eo magis, cum putant se in amicum semper officiosos fuisse et operas cum labore confectas pro amicis dicere posse. „*Odiosum sane genus hominum officia exprobrantium; quae meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare, qui contulit.*“ Cicero his verbis manifeste res Romanas spectat, quae tum erant, et ex locis brevi ante prolatis etiam Ciceronem in hoc genere hominum habendum esse intellegimus.

Hospites, vicinos, tribules inter se necessitudine coniunctos esse et officia praestare debere manifestum est. Sed etiam omnes collegae muneris necessitudine secum coniuncti et obstricti erant officia praestare. Itaque Cicero dicit div. Caec. 61: „*Nullam neque iustiorem neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri quam coniunctionem sortis, quam provinciae, quam officii, quam publici muneris societatem.*“ Itaque Cicero profitetur epist. 4, 12, 3: „*Ita, quae nostra officia fuerunt pro collegio et pro propinquitate, et vivo et mortuo omnia ei praestitimus.*“ Familiarissima autem necessitudo inter quaestorem et praefectum provinciae constabat, cum quaestores liberorum loco habere antiquus mos inter Romanos esset. Cf. div. Caec. 61: „*Sic enim a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere.*“ Cf. Planc. 24 et 28, epist. 2, 19, 1 et 13, 26, 1. Itaque Cicero M. Varronem, qui quaestor Bruti factus erat, huic commendat epist. 13, 10, 1: „. . . *satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more maiorum, qui, ut te non fugit, hanc quaesturae coniunctionem liberorum necessitudini proximam voluit esse.*“ His verbis Cicero Brutum adhortatur, ut Varroni quaestori consulat non modo, quod Cicero se id oret, sed etiam, quod pietas hoc postulet. Ut officium praefecti est quaestori consulere, ita etiam quaestori officia erga praefectum observanda sunt. Quod Cicero non ignorans ad Cn. Sallustium quaestorem Bibuli praetoris scribit epist. 2, 17, 6: „. . . *quod ego officio quaestorio te adductum reticere de praetore tuo non moleste ferebam, quamquam, quemadmodum tractarere, audiebam.*“ Cicero in hac epistula queritur, quod Sallustius officio quaestorio adductus se non certiorem fecerit, quam malevolus sibi Bibulus esset, sed intellegit hunc recte egisse.

Sed non modo inter Romanos ipsos, sed etiam inter civem Romanum et municipium vel provinciam necessitudo esse poterat. Pietate permotus Cicero Brutum orat, ut Arpino municipio, in quo Cicero natus erat, consulat (epist. 13, 11). Proconsulem vel propraetorem cum provincia administrata necessitudine coniunctum esse facile est intellectu. Sed etiam ex officiis mutuis aut alia ex causa inter civem Romanum et municipium aut provinciam necessitudo esse poterat.

Ex verbis adhuc factis intellegimus omnia facinora aut opera, quae ex religione quadam ad alium adiuvandum conficiuntur, officia appellanda esse. Nunc illustrare conabimur, quae fuerint apud Romanos gravissima officia.

Quae fuerint genera officiorum, comperimus ex epist. 16, 4, 3: „*Innumerabilia tua sunt in me officia domestica, forensia, urbana, provincialia, in re privata, in publica, in studiis, in litteris.*“ Ego equidem officia publica et privata in hac tractatione disseram, quorum officia publica longe gravissima sunt, quod semper ad dignitatem spectant.

Officia privata tractans ab officio e p i s t u l a e scribendae incipere volo, quod officium videtur levissimum minimumque omnium esse. Quanti autem momenti hoc officium fuerit, intellegimus considerantes Romanos actis diurnis, quibus nos his temporibus utimur, caruisse. Quare opus erat Romanos in provincia versantes quam saepissime a plurimis amicis epistulas accipere, quibus certiores fiebant, quid Romae evenisset. Magni momenti erat quam plurimos amicos iis scribere, ut diligenter atque accurate de re publica iudicare possent. Quam saepe et quam vehementer Cicero amicos orat, ut ad se crebro litteras mittant! Caelius in epist. 8, 1, 1 Ciceronem orat et obsecrat, ne aegre ferat, quod hoc officium alteri delegaverit; nam Ciceronem discedentem sibi mandavisse, ut se de omnibus rebus diligenter certiorem faceret, quod omnibus peregrinantibus minimae res ipsae magni momenti essent; itaque se ei omnia senatus consulta, edicta, fabulas, rumores mittere. Caelius porro pollicetur se omnia perscripturum diligenter esse, si quid in re publica actum sit, quomodo actum sit et quae existimatio

secuta et quae de eo spes sit. Gravitas huius officii etiam apertius ex alio loco intellegi potest epist. 15, 20, 2: „*Quamquam duae causae sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas quam nos, primum quod olim solebant, qui Romae erant, ad provinciales amicos de re publica scribere, nunc tu nobis scribas oportet (res enim publica istic est); deinde quod nos aliis officiis tibi absenti satisfacere possumus. Tu nobis nisi litteris non video, quare alia satis facere possis.*“ Romae est res publica, et quod omnes Romani rem publicam capessere student, amicos, qui Romae versantur, amicis provincialibus scribere oportet, quid agatur in re publica. Cf. epist. 13, 68, 1: „*Multo etiam erit gratius, si ad me de re publica, id est de statu provinciae, de institutis tuis familiariter scribes.*“ His epistulis amicos non modo de statu rei publicae se certiores fecisse, sed etiam sibi consilia dedisse manifestum est. In epist. 16, 25 Cicero Tironem vituperat, quod non scribat: nulla excusatione officium scribendi potius expleri quam assiduitate epistularum. His litteris nihil nisi cohortatio scribendi continetur, qua ex re sola apparet, quanti momenti hae epistulae fuerint. Cf. epist. 2, 1, 1; 2, 4; 6, 2, 1; 12, 18, 1; 16, 25, 1 etc.

Sed certe non minoris momenti aliud genus epistularum fuit: epistulae commendaticiae. Variae esse possunt occasiones, ex quibus hae epistulae scribuntur. Saepe evenit, ut nova necessitudo, quam amicus commendandus gravem putat, hac commendatione comparetur; nam unaquaeque nova necessitudo, ut iam supra vidimus, plurimi aestimata est. Cf. epist. 13, 17; 13, 22; 13, 31; 13, 39 etc. Persaepe domus et res familiaris et familia amici absentis curae alterius commendantur, praesertim si ille in provincia versatur. Si amicus in provincia negotia habet, proconsul oratur, ut amicum et negotia eius adiuvet. Cf. epist. 5, 5; 13, 26; 13, 30. In epist. 13, 9, 3 Cicero Crassipedem quaestorem orat, ut cum negotia publicanorum omnium tum Cn. Papium omni modo adiuvet. Gravissimae nimirum sunt eae epistulae, quibus p e t i t i o amici curae alterius commendatur. Cf. epist. 11, 16; 11, 17. Ne plura dicam, occasiones, ex quibus hae epistulae scribuntur, ad omnia negotia et publica et privata pertinent. Has epistulas plurimum apud Romanos valuisse

inde intellegimus, quod in Ciceronis epistulis liber nullas alias epistulas nisi commendaticias continens nobis occurrit et quoddam genus has epistulas scribendi formatum est: Primo narratur, qua in re necessitudo inter Ciceronem et amicum commendandum posita sit, qua in occasione hic magnis laudibus efferri solet. Deinde commendatio ipsa sequitur, in qua cum aliae virtutes tum gratia huius commemorantur. Denique Cicero confirmat se amico huic commendationi obsequenti obstrictum iri. Saepe vel potius semper fere amicus, ad quem litterae commendaticiae mittuntur, etiam oratur, ut se auctore amicus commendatus cognoscat commendationem multum pondus habuisse, id quod etiam non parvum officium fuisse Cicero ipse saepe dicit. Nimirum is, qui cum homine commendato bene agit eique consulit, amico, qui illum commendavit, magnum officium praestat; cf. epist. 13, 47; hoc officium erat propterea tam praecipuum, quod magnae opes huius multis late patere videbantur. Cf. epist. 13, 45; 13, 46; 13, 52 etc.

Certe eximium officium privatum erat a m i c u m sceleris accusatum d e f e n d e r e. Quod est consentaneum, quia, si quis sceleris damnatus erat, dignitas eius violata erat, id quod Romani maxime dolebant; nam sine dignitate Romani in re publica nihil valere poterant. Quin etiam defensio erat tam grave officium, ut ii, qui defensi erant, perpetua necessitudine cum defensore coniuncti essent atque clientium numero haberentur. In epist. 5, 9, 1. Vatinius a Cicerone defensus ad hunc scribit: „*P. Vatinius cliens advenit.*" Itaque scriptum videmus Cluent. 10: „*Cluentio nisi nunc* (i. e. defensione Cluentii) *satisfecero, postea mihi satisfaciendi potestas non erit.*" Satisfacere ab elocutione officii praestandi vix distat. Phamea indignabatur, quod a Cicerone non defendebatur, cum huic eodem die P. Sestius defendendus esset epist. 7, 24, 2. Cf. Mur. 5.

Amicorum officium est amico pecuniae inopia presso, quod certe non raro accidit, pecuniam mutuam dare (cf. epist. 14, 1, 5) aut nisi hoc fieri poterat, certe alios orare, ut amicum adiuvarent. Cf. Att. 12, 52, 1: „*Sane velim sive Plancus est rogandus, sive qua re illum potes iuvare, iuves. Pertinet ad nostrum officium.*" Saepe opus erat sponsorem amicis esse. Cf. epist. 6, 18, 3;

13, 28, 2; Planc. 47. Quia Atticus aedificationem, quam Memmius quidam in animo habebat, impedire volebat, Cicero hunc oravit, ut aedificatione desisteret, qua re hic Ciceroni, Cicero autem Attico magnum officium praestabat (epist. 13, 1, 5). Cicero, cum in Sicilia quaestor esset, Aviano Flacco equiti permiserat, ut frumentum deportaret, quo quandoque vellet. Idem Cicero Ti. Titium orat (epist. 13, 75). Videmus igitur innumerabiles esse posse occasiones, in quibus amici amicis officia privata praestare possunt.

Ex officiis publicis nimirum gravissima sunt ea, quae in petitione praestantur. Haec est occasio, in qua nemini, qui cum petitore necessitudine aliqua coniunctus est, licet deesse et omnes amicos, quocumque modo possunt, petitorem adiuvare oportet. Itaque Cicero Servio Sulpicio dicit Mur. 7: „*Ego, Servi Sulpici, me in petitione tua tibi omnia studia atque officia pro nostra necessitudine et debuisse confiteor et praestitisse arbitror*“ et epist. 2, 6, 3 Cicero ad Curionem scribit: „*Ego omnia mea studia ... in consulatu Milonis fixi et locavi statuique in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quaerere.*“ Iam supra vidimus petitorem epistulis commendaticiis, quae ad multos amicos mittuntur, magnopere adiuvari. Deinde magni momenti erat et vicinos et tribules et centurias ab amicis, qui apud illos multum poterant, admoneri, ut amicum munus petentem crearent. Tum magnum officium erat amicum petentem quam saepissime visitare et cum eo in forum ire, ut quam plurimi auctoritatem et potentiam petitoris viderent (pet. cons. 32—38). Hoc officium amici tenues plerumque praestare solebant. Quare Cicero dicit Mur. 37: „*Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officii*“ (i. e. petitorem assectari) et 70: „*Neque enim fieri potest neque postulandum est a nobis aut ab equitibus Romanis, ut suos necessarios adsectentur totos dies.*“ Haec officia, quae in petitione observanda erant, tam crebro praestabantur, ut pro more haberentur Mur. 71: „*Nulla est enim poena, quae possit observantiam tenuiorum ab hoc vetere instituto officiorum excludere.*“ Cf. Planc. 22. Denique in petitione ultimum officium est amico suffragari (Mur. 71). In epist. 8, 14, 1 Cicero laetatur, quod „*perpauci necessitudinem*

secuti officium praestiterunt", i. e. quod amici Domitium deseruerunt neque ei suffragati sunt.

Postquam Romani magistratum adepti sunt, iis officia amicorum publica nequaquam supervacanea erant. Persaepe auxilio amicorum opus erat, ut r o g a t i o quaedam in senatu perferretur. Cicero, qui pro consule in provinciam ierat, amicos, qui Romae erant, oravit atque obsecravit, ne sibi tempus provinciae prorogaretur neve quicquam novi a senatu decerneretur, sed ea condicio maneret, qua profectus esset; praecipue successorem sibi destinari cupivit, ne diutius in provincia versaretur (epist. 2, 7, 4; 2, 8, 3; 2, 10, 4; 3, 8, 9; 8, 10, 5 etc.). Quam callidus in hac re Cicero sit, videmus ex epist. 15, 12, 2, in qua Paulo gratulatur, quod consul designatus sit, et queritur, quod ei officiis adesse non possit, quia in provincia sit; cum Paulo studium suum et operam navare velit, Paulus consulat, ne sibi imperium prorogetur. Cum Cicero in exsilium eiectus esset, officium amicorum erat consulere, ut Ciceroni domum redire liceret (Att. 3, 20, 2; 3, 22, 2; epist. 5, 4, 1; dom. 7). Idem officium Cicero amicis praestabat. In epist. 6, 14, 1 Cicero Ligarium consolatur, quod mox restituatur: „*Me scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere ... singularis pietas amorque fraternus nullum me patitur officii erga te studiique munus aut tempus praetermittere.*" Cicero, quod cum nonnullis amicis Caesaris familiariter vivebat, hos rogavit, ut pro Balbo in exsilio versante apud Caesarem orarent (epist. 6, 12). Cicero Dolabellam generum admonuit, ut a Caesare Trebiani restitutionem peteret (epist. 6, 11, 1; 10, 29).

Cum Brutus ab exercitu imperator conclamatus esset, Ciceronis amici erat efficere, ut hoc nomen ei a senatu decerneretur (epist. 11, 14, 1). Idem Vatinius imperator conclamatus Ciceronem orat illustrans se a Cicerone adiutum esse, cum salus sua ageretur. Sed cum dubitet, num Cicero se adiuturus sit, se servum Ciceronis fugitivum quaesiturum et repertum reportaturum esse pollicetur, quo officio Ciceronem permovere volebat, ut hic illud officium sibi paestaret (epist. 5, 9, 1). Hoc loco rursus manifestum est, qanto-

pere officia vitam Romanorum rexerint. In epist. 13, 77 Cicero Sulpicium certiorem facit se honori eius non defuisse, sed supplicationem ei libenter decrevisse. Cur Cicero hoc Sulpicio scribat, mox comperimus; nam optat, ut hic etiam sibi Bolanum, qui Ciceroni cordi erat, adiuvans atque Dionysium servum fugitivum sibi restituens officia praestet. Quibus ex exemplis aperte intellegere possumus officia publica et privata misceri vel potius Romanorum studium rei publicae capessendae plurimum ad vitam privatam valuisse. In epist. 3, 13, 1 Cicero Appio gratias agit, quod suos in supplicatione decernenda adiuverit, et commemorat se ipsum aliquando Appii Claudii honori inservivisse, cum in senatu de rebus ab eo gestis actum esset. Verisimile est Ciceronem in Appium laudationem habuisse. In epist. 10, 2 Cicero aegre fert, quod honori Planci in senatu defuerit, sed pollicetur se in rebus privatis omnia officia praestaturum esse. In epist. 5, 2 Cicero, ut cum Metello necessitudinem renovet, enumerat nonnulla officia, quae huic praestiterat: Se pro Metello provinciam praetermisisse et consuluisse, ut haec provincia Metello traderetur, multa in senatu de Metelli meritis dicentem, postea autem, cum Metellus in provinciam profectus esset, res absentis magnopere sibi cordi fuisse, se in senatu et in contionibus pro Metello dixisse litterasque ei misisse. Alia officia scripta videmus in litteris, in quibus Plancus Ciceroni pro his gratias agit epist. 10, 11, 1: „*Tantis enim tuis officiis non videor mihi respondere posse ... Primae tuae sententiae infinitis cum muneribus, posteriores ... oratio assidua et perpetua de me iurgia cum obtrectatoribus propter me notissima mihi sunt.*" Ne plura dicam, omnia, quae et in senatu et in populi contione pro dignitate amici fiebant, officiorum publicorum numero habebantur.

Praeter haec officia et publica et privata, quae ad dignitatem aut commodum amici pertinebant, Romanos etiam officia quaedam praestare oportebat, quae praestare more solo coacti erant. In numero horum officiorum, quae vernacula lingua „gesellschaftliche Verpflichtungen" appellantur, salutationes et deductiones, quas supra commemoravimus, habendae sunt. Haec

non tam patres et equites quam inferiores homines praestare solebant (pet. cons. 32—38; Mur. 70—71). Haec officia nobis notissima sunt ex Caesarum temporibus, quibus finis eorum sane omnino commutatus est, ut infra illustrabimus. Deinde officia huius modi sunt gratulationes atque consolationes. Si amicus designatus erat, gratulatio erat non praetermittenda. Cicero Marcello (epist. 15, 7) et Paulo (epist. 15, 12) consulibus designatis gratulatur simulque se ab iis consulibus factis adiutum iri sperat, id quod aperte profitetur epist. 15, 7: *Quapropter a te peto in maiorem modum, ut me absentem diligas atque defendas.*" In epist. 2, 9 Cicero Caelio aedili curuli designato gratulatur. Sed etiam aliis in occasionibus gratulationes praetermittendae non erant. In epist. 3, 12 Cicero Appio Claudio gratulatur, quod hic ambitus absolutus erat: „*Gratulor tibi prius; ita enim rerum ordo postulat; deinde ad me convertar.*"

Consolationes postulari Cicero in epist. 5, 16, 1 dicit: „. . . *statui nostrae necessitudinis esse meaeque in te benevolentiae non tacere tanto in tuo maerore . . .*" Consolationum quoque proprium genus scribendi formatum erat; nam Cicero primo scribere solet se calamitate amici tantopere premi, ut ipse consolatione indigeat, quare amicum consolari vix possit epist. 5, 18, 1: „*Etsi egomet, qui te consolari cupio, consolandus ipse sum, propterea quod nullam rem gravius iam diu tuli quam incommodum tuum . . .*" Tum sequuntur consolationes ipsae; denique Cicero se semper amicitiam conservaturum esse pollicetur epist. 5, 18, 2: „*Meus animus erit in te liberosque tuos semper, quem tu esse vis et qui esse debet.*" Melius quam litteras consolatorias scribere erat amicum lugentem visere et consolari et adiuvare epist. 4, 5, 1: „. . . *qui si istic adfuissem, neque tibi defuissem coramque meum dolorem tibi declarassem.*"

Etiam inter civem Romanum et municipium aut provinciam necessitudinem constare posse supra diximus. Nunc nonnulla officia enumerabo, quae Romani municipiis aut provinciis praestare solebant. Cicero Arpini natus erat, quare cum Arpinatibus necessitudine coniunctus erat. Arpinatium pecuniae, quibus impensa publica absolvebantur, consistebant in

iis vectigalibus, quae in provincia Gallia habebant. Itaque Cicero Brutum, quem Caesar praefectum Galliae Cisalpinae fecerat, oravit, ut Arpinates haec vectigalia exigentes adiuvaret (epist. 13, 11). „*Pertinet enim ad officium meum eos existimare curae mihi suas res esse*“ scribit Cicero ad Servium eumque orat, ut res Lacedaemoniorum ei magnae curae sint (epist. 13, 28 b, 2). Cum Cicerone consule tribuni plebis legem de agris Volaterranorum dividendis promulgavissent, Cicero necessitudine cum his coniunctus effecit, ne haec lex perageretur; in epist. 13, 4, 3 Orcam idem orat: „*Gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros incolumisque esse volueris. Eorum ego domicilia, sedes, rem, fortunas ... commendo.*“ In epist. 13, 7 Cicero Cluvium, qui Caesaris iussu in Galliam ad agros dividendos ierat, orat, ut agros Atellanorum, qui clientes sui sint, incolumes conservet; nam idem Regienses clientes illius ab illo impetravisse. Cf. Att. 15, 15, 1: „*L. Antonio male sit, si quidem Buthrotiis molestus est.*“ Cicero cum quaestor in Sicilia esset, cum Siculis bene egit et in vectigalibus exigendis fuit moderatus. Notum est Ciceronem pro Siculis necessariis suis Verrem reum fecisse, quod hic in Sicilia crudeliter saevierat. Cicero, cum in Cilicia pro consule esset, Cyprios et Paphios tutatus est et pro his edicta dedit; quae ut sequatur, Sextilium Rufum in epist. 13, 48 orat.

Quo modo municipia aut provinciae pro his officiis gratiam rettulerint, raro comperimus. Antiquus mos erat, ut, cum proconsul provincia excedebat, urbes huius provinciae legationes Romam mitterent, quae apud senatum laudationem habebant et gratias agebant, quod sibi ille optimus proconsul a senatu missus esset (epist. 3, 8, 2 sq.). Quo crudelius proconsul in provincia saevierat, eo plus eius intererat hoc officium accipere. Provinciae ei, qui de his bene meritus erat, statuam constituere solebant, id quod ex Verr. 4, 86 apparere mihi videtur: „*Ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit, cuius officia in illam civitatem totamque provinciam recentissima erant et maxima.*“

Denique civitates vel reges cum re publica Romana officiis coniuncti esse possunt. Deiot. 27: „*Multis ille* (i. e. Deiotarus)

gradibus officiorum erga rem publicam nostram ad hoc regium nomen ascendit." Nam populum Romanum copiis et opibus adiuverat. „*Itemque si ceteri reges tetrarchae dynastaeque fecissent, senatum populumque Romanum eorum officiis non immemorem futurum*" (Phil. 11. 31). In Verr. 2, 163 scriptum videmus civitatem Centuripinorum officiis cum populo Romano coniunctam fuisse. Cf. epist. 11, 19, 2.

Caput VI.

Quae fuerint Caesarum aetate officia amicorum.[1])

Hoc capite expositurus sum, quae Caesarum temporibus praecipua officia fuerint. Cuius aetatis officia non iam eadem esse quae temporibus rei publicae liberae supra dixi. Quod ex condicione rei publicae apparet, quae ex illis temporibus magnopere mutata est. Verba Ciceronis, qui dicit opes nullius hominis tantas esse posse aut fuisse, quae sine multorum amicorum officiis stare possint (Planc. 81), pertinent, id quod illa aetate consentaneum est, ad rem publicam capessendam et Cicero putat neminem sine multorum amicorum officiis in re publica capessenda quicquam consequi posse. Haec verba Ciceronis Caesarum temporibus nihil valent. Nam imperatores et familiares eorum soli rem publicam gerunt neque senatus neque magistratus in re publica re vera quicquam valent. Quo minus Romani in re publica valebant, eo magis in re privata posse conabantur. Nam homines, quo minus re vera valent, eo magis ad speciem intendunt. Itaque divitiis, auctoritate, gloria eminere et, si fieri poterat, ceteros omnes superare, Romani illis temporibus vehementer studebant. Hae res, quae aliquando rei publicae capessendae causa petebantur, hac aetate per se ipsas petuntur. Si quis munus petebat, hoc non eo consilio factum est, ut petitor in re publica valeret, sed ut ceteros Romanos gloria et honore superaret. Cf. Plin. pan. 91, 1: „. . . *tu nobis, optime principum, fortissime imperatorum, consulatum obtulisti, ut ad summum honorem gloria celeritatis accederet.*" Munera igitur ipsa ad rem privatam, non publicam pertinebant.

---

[1]) Cf. L. Friedländer: Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms I^9 p. 238 sqq.

In ep. 4, 23, 4 Plinius optat, ut sibi mox liceat vitam quietis degere, et eam epistulam finit hoc enuntiato: „*Quando secessus mei non desidiae nomen, sed tranquillitatis accipiènt?*“ Quod enuntiatum comparantes cum verbis Ciceronis (off. 3, 1—4), quibus lamentatur, quod a re publica forensibusque negotiis armis impiis vique prohibitus otium prosequatur, intellegimus, quantopere tempora mutata sint; nam Cicero eam quietem lamentatur quam Plinius vehementer optat. Cf. Plin. ep. 3, 1, 11. Etiamsi necessitudines et clientelae Caesarum aetate in re publica nihil iam valebant, tamen omnes nobiles Romani circumfundi a multis amicis et clientibus studebant, quorum officiis amplitudo eorum augebatur. Itaque intellegimus non modo non supervacaneum factum esse officia praestare, sed officia quaedam fuisse, quae deserere cuiquam nequaquam licebat, quin amicos vehementissime offendere vellet. Nimirum officia non iam in publica et privata secernuntur, cum omnia, ut modo exposui, ad rem privatam pertinerent.

Quod nemo his officiis deesse poterat, nisi a societate Romanorum, quae tum erat, extrudi volebat, et innumerabiles occasiones officia praestandi occurrebant, patet, Romanos hic officiis maxime distentos esse. Qua de re Plinius queritur ep. 8, 9: „*Adeo multa me negotia amicorum nec secedere nec studere patiuntur. Nulla enim studia tanti sunt, ut amicitiae officium deseratur: quod religiosissime custodiendum studia ipsa praecipiunt.*“ His verbis Plinius se ipsum consolari conatur, quod officiis nimis occupatus erat. Hoc solacium ei nullum esse videmus ex ep. 1, 9, 3. Plinius in hac epistula nonnullis officiis commemoratis, quibus maxima pars diei consumatur, dicit officia eodem die, quo haec praestari oportet, necessaria esse videri, sed cum cotidie praestentur, inania, multo autem magis Roma relicta „*Tunc enim subit recordatio: „Quot dies quam frigidis rebus absumpsi.*“ Item Seneca lamentatur dial. 10, 7, 6: „*Plerosque certe audies . . . exclamare interdum: „vivere mihi non licet.“ Quidni non liceat? omnes illi, qui te sibi advocant, tibi abducunt. Ille reus, quot dies abstulit? quot ille candidatus? . . . quot ille potentior amicus, qui vos non in amicitiam, sed in adparatum habet?*“ Aliquando honestum erat officia

praestare; illa aetate res aliter sese habebat. Quam molesta et odiosa haec officia facta sint, ex Mart. 1, 55, 13 sq. apparet, quo loco Martialis optat, ut ii, qui se non ament, albi in urbanis officiis vivant, quibus verbis illum, qui eum neglegit, exsecrari manifestum est.

Gratiam pro officiis referre aliquando honestum putabatur; sed nunc Seneca lamentatur benef. 2, 23, 3: „*Rariores in eorum officiis sunt, quibus vitam aut dignitatem debent, et dum opinionem clientium timent, graviorem subeunt ingratorum.*" Nihil igitur iam valent verba Ciceronis, qui ep. 16, 17, 1 dicit vocabulo ‚fidelis' domicilium in officio esse. Romani sibi etiam conscii erant se his officiis saepe nihil aliud consequi, nisi ut potius molesti quam officiosi esse viderentur (Mart. 12, Pr. 4).

Inter omnes constat ordinem clientium, qui nullo alio verbo nisi voce ‚manci' vocari possunt, formatum esse, qui pro officiis, quae patrono praestabant, sportula aut cibo aut vestimentis absolvi solebant neque uni patrono, sed multis Romanis officia praestabant. Sed nequaquam clientes solos, sed, ut supra dixi, omnes Romanos officia praestare oportebat; in quo divites et nobiles cum pauperibus concertabant; iure verbum concertandi usurpo, cum etiam divites et nobiles officia praestarent, ut ex iis fructum caperent; cf. Iuv. 3, 126 sqq. Notum est, quam saepe Romani heredidates captandi causa officia praestiterint. Cf. Hor. sat, 2, 5, 48 sqq.: „*. . . leniter in spem / adrepe officiosus, ut et scribare secundus / heres.*"

Ex omnibus fere vocibus, in quibus de officiis agitur, indignitatem audimus. Exinde intellegimus officium illa aetate non iam idem valere potuisse atque necessitudinem; nam his levibus atque pravis officiis nunquam necessitudo fieri et in iis posita esse potest. Ex eadem causa etiam officium raro usurpatur vi virtutis eius, qui officia sua praestat. Cum ex hoc exemplo tum ex tota quaestione apparet condiciones temporum ad linguam confirmandam plurimum valere et linguam satis fidam imaginem esse aetatis.

Iam ante lucem officia recentis diei praestanda erant. Horum officiorum causa (Plin ep. 3, 12) ad cenam invitatus Plinius

pollicetur se venturum esse, licet brevis et frugi sit; nam „*erunt officia antelucana.*“ Cf. Suet. Aug. 78: „*. . . si vel officii vel sacri causa maturius vigilandum esset . . .*“

Praecipuum officium antelucanum erat s a l u t a t i o , quod neglegere neque familiari neque clienti licebat. Id vestimentum, quo solo indutis esse salutatoribus licebat, erat toga, qua de causa clientes saepe ‚togati‘ vocabantur. (Iuv. 3, 127 et 7, 142; cf. Mart. 2, 57, 5 „*grex togatus*“. Mart. 3, 46, 1 „*opera togata*“ = officium clientium). Ad salutationem conveniebant pauperes clientes, qui sperabant se ad cenam invitatum iri (Mart. 12, 26, 13) vel sportulam aut vestimenta accepturos esse, conveniebant nobiles et divites senatores (Iuv. 3, 239 sqq.), qui consulatum aut provincias administrandas petebant (Mart. 12, 26), conveniebant amici, qui dicuntur, aliique spe adducti se fructum aliquem capturos esse (Mart. 10, 10; Stat. 1, 2, 229 sqq.). Urbane Martialis in 1, 70 librum emittit, qui pro se hoc officium salutationis praestet. Quam sordida crebro fuerit causa cum aliorum officiorum tum salutationis videmus ex Iuv. 3, 12 sqq.: „*Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod / pauperis hic meritum, si curet nocte togatus / currere, cum praetor lictorem impellat et ire / praecipitem iubeat dudum vigilantibus orbis, / ne prior Albinam et Modiam collega salutet.*“ Nobiles igitur senatores non pudebat hereditates captandi causa mulieribus viduis orbisque officium salutationis praestare; quin etiam turpis concertatio orta est omnium primum in officio salutationis adesse, ne vidua collegam alium intermissione officii offensa heredem faceret.

Alia praecipua officia antelucana erant diebus festis p o m p a e et c a e r i m o n i i s interesse, quae interventu et praesentia omnium amicorum et clientium ante lucem celebrari solebant. Haec officia gravissima fuisse inde apparet, quod pompa et caerimoniae ipsae vocabulo officii, ut supra dictum est, vocantur. Suetonius Augustum magnis laudibus effert, quod haec officia cum aliis vicissim praestabat neque prius diebus festis familiarium interesse desiit, quam iam grandior natu factus et quondam in turba sponsaliorum vexatus erat (Aug. 53, 3) et persaepe offici-

orum causa maturius evigilabat. Item Plinius Traianum laudat, quod superior factus in omnia officia familiaritatis descenderit et in amicum ex imperatore submiserit (pan. 85, 5). Eandem laudem Eutropius Traiano attribuit 8, 4 eum aequalem se omnibus exhibuisse, amicos salutandi causa vel aegrotantes frequentasse, convivia, cum festos dies habuissent, cum isdem indiscreta vicissim habuisse. Die festo tirocinii omnes amici caerimoniis intererant, qui sollemni pompa puerum in Capitolium comitabantur. Imperator Claudius, cum togam virilem indueret, hoc officium amicorum non accepit, sed „*togae virilis die circa mediam noctem sine sollemni officio lectica in Capitolium latus est.*“ (Suet. Claud. 2, 2). Cf. Plin. 1, 9, 2: „*Officio togae virilis interfui.*“ Hoc loco Plinius multa alia officia commemorat, quibus Romani illa aetate distinebantur.

Alii dies festi, quibus amicos praesentia officium praestare oportebat, erant s p o n s a l i a et n u p t i a e, quae etiam mane celebrabantur. Haec officia etiam a Plinio loco modo commemorato (ep. 1, 9, 2) proferuntur „*Sponsalia aut nuptias frequentavi.*“ Cf. Iuv. 2, 132: „*Officium cras / primo sole mihi peragendum in valle Quirini.*“ / „*Quae causa officii?*“ *Quid quaeris? nubit amicus / nec multos adhibet.*“ Cf. Sen. benef. 4, 39, 3, dial. 9, 12, 4; Suet. Aug. 53, 3; Cal. 25, 1; Nero 28, 1; Apul. met. 4, 26.

Etiam in multis aliis occassionibus domesticis satis officia praestari oportebat. Cf. Mart. 10, 58, 11: „*Sed non solus amat, qui nocte dieque frequentat limina.*“ D i e n a t a l i amici conveniebant, ut g r a t u l a r e n t u r et cenantes hunc diem festum celebrarent. Cf. Mart. 11, 65 sq.: „*Sescenti cenant a te, Iustine, vocati / lucis ad officium, quae tibi prima fuit.*“ Hic celebratio ipsa officium vocatur. Nonnunquam litterae his visitationibus successisse videntur (Fronto ad M. Caesarem 2, 9).

A e g r o t o s a m i c o s v i s i t a r e in numero officiorum habitum esse vix me commemorare opus est. Cf. Hor. ep. 2, 2, 68 sqq.: „*Cubat hic in colle Quirini / hic extremo in Aventino; visendus uterque: / intervalla vides humane commoda.*“ Cf. Eutr. 8, 4; Hor. sat. 1, 9, 17. Script. hist. Aug. Hadr. 9, 7.

Si amicus mortuus erat, nimirum officium omnium amicorum s e p u l t u r a e consulere et funeri interesse, qua de causa, ut supra dixi, sepultura et exstructio conditorii persaepe supremum officium vocatur; cf. Tac. hist. 3, 25; Petr. 112. Ad eum, cui consanguineus mortuus erat, nimirum omnes amicos convenire et se condolescere simulare oportebat. Cf. Plin. ep. 4, 2, 4. Huc pertinet Mart. 8, 57, 5 sq.: „*Ossa licet quondam defuncti non legat heres: / hoc sibi iam Picens praestitit officium.*“ Cf. Sen. ep. 92, 35. Hoc officium nimirum non libenter praestabatur; itaque Plinius lamentatur ep. 6, 10, 5 fidem in amicitia tam raram esse, ut omnes ipsos sibi omnia officia heredum praesumere debeant.

Gravissimum officium temporibus rei publicae liberae erat a m i c u m i n m u n e r e p e t e n d o, quoquo modo hoc fieri poterat, a d i u v a r e. Munus autem, etsi his temporibus ei, qui munere fungebatur, re vera potestatem non praebebat, dignitatem et amplitudinem et gloriam praecipue amplificabat (cf. Plin. pan. 91, 1). Itaque etiam his temporibus officio candidati in munere petendo adiuvandi multum tempus conterebatur, qua de re Seneca dial. 10, 7, 7 queritur: „*Quot* ⟨*dies*⟩ *ille candidatus* ⟨*abstulit*⟩.“ Plinius (ep. 2, 1, 8 et 9) Virginium Rufum mortuum magnis laudibus effert, quod se candidatum suffragio ornaverit et sacerdotem creaverit, quin etiam se iuvenem inter quinqueviros elegerit, cum illi tot amici senes consularesque superfuerint. Cf. Plin. ep. 4, 8, 3; 8, 23, 2. Sen. ep. 8, 6. Etiam magni momenti erat amicum munus petentem amicis commendare. In ep. 4, 4: Plinius Sosium quendam orat, ut Calvisium et avunculum semestri tribunatu splendidiorem reddat. Cf. 2, 9; 3, 8, 2; 6, 9, 1.

Si candidatus munus adeptus erat, omnes amicos convenisse vel certe litteras misisse, ut ei gratularentur, consentaneum est. Cf. Plin. ep. 4, 8, 1. Praecipue erat officium eorum amicum designatum in honore incohando sollemni pompa in Capitolium comitari. Quam praecipuum fuerit hoc officium, aperte intellegimus ex Plin. ep. 9, 37, qua Plinius se purgat, quod in honore incohando adesse non possit, cum se necessitas praedia locandi detineat. Maxime hoc ex fine harum litterarum apparet:

„*Vides, quam non delicata me causa obire primum consulatus tui diem non sinat; quem tamen hic quoque ut praesens votis, gaudio, gratulatione celebrabo.*“ Itaque Plinius Corellium Rufum laudat, quod et in honoribus petendis suffragator et testis et in incohandis deductor et comes fuerit (ep. 4, 17, 6) et Virginium Rufum consulem, quod semper, quamquam ex his officiis et ex urbe recesserit, tamen ex secessibus egressus sit, ut in ineundo munere adesset (ep. 2, 1, 8). In Script. hist. Aug. Hadr. 9, 7 refertur Hadrianum consulum et praetorum officia frequentavisse, id quod ad hoc officium pertinere videtur. Cf. Suet. Iul. 15 „*relicto novorum consulum officio.*“ Cf. Plin. ep. 1, 5, 11.

Quam praecipuum officium illa aetate fuerit, recitationibus familiarium interesse, his temporibus intellegere vix possumus. Neque enim umquam fieri poterat, quin Romani recitationibus amicorum interessent, nisi hos vehementissime offendere volebant. Huc accedit, quod hoc officium vicissim praestabatur. Gravissimae causae ipsae absentiam amici excusare vix poterant. Quod cum ex aliis locis tum ex Plin. ep. 8, 12 apparet; nam in hac epistula Plinius se purgat, quod ad Minicianum venire non possit, quia recitationibus Capitonis se interesse oporteat, ut huic paria reddere possit, cum hic recitationibus suis interfuerit. § 1: „*Hunc solum diem excuso. Recitaturus est Titinius Capito, quem ego audire nescio magis debeam an cupiam.*“ § 2. „*Mihi certe* ⟨*recitanti*⟩, *si modo in urbe, defuit nunquam.*“ § 4. *Quod si illi nullam vicem, nulla quasi mutua officia deberem, sollicitarer tamen vel ingenio hominis ...*“ In ep. 6, 6 Plinius Iulium Nasonem magnopere laudat, quod semper recitationibus suis adfuerit; haec fuit una neque minima causarum, ex quibus Nasonem munus petentem Fundano commendat. In ep. 3, 18, 4 Plinius gloriatur, quod amici foedissimis tempestatibus biduum ad recitationem convenerint, quamquam commodum non sit recitantem audire, quin etiam se oraverint, ut tertium diem adiceret. Cf. Hor. ep. 2, 2, 67 sq.: „*Hic sponsum vocat, hic auditum scripta relictis / omnibus officiis.*“ Plin. ep. 1, 13, 6. „*Nam ut in ceteris rebus, ita in audiendi officio perit gratia, si reposcatur.*“ Quo ex loco videmus, quam vehementer

audientes hoc officium reposcere soliti sint. Cf. Plin. ep. 8, 12, 2. „*Porro* <*in hoc officio*> *tanto turpius gratiam non referre, quanto honestior causa referendae.*“ Hoc officium Romanis odiosissimum et molestissimum erat, quod hoc officio multum temporis inutiliter conterebatur et multae aliae molestiae in hoc tolerandae erant, ex quibus praecipue ardorem aestatis nomino. Itaque audientes in Plin. ep. 1, 13, 1 toto mense Aprili nullum fere diem fuisse, quo non aliquis recitaret, intellegimus Iuvenalem hoc officium in maximis malis urbis Romae putare 3, 6 sqq.: „*Nam quid tam miserum, tam solum videmus, ut non / deterius credas horrere incendia, lapsus / tectorum assiduos ac mille pericula saevae / urbis et Augusto recitantes mense poetas?*“

Quam aliud factum sit studium Romanorum, praecipue apparet ex Plin. 5, 3, 1, quo loco dicit officiorum gratorum sibi m a x i m u m fuisse, quod certior factus esset amicos de versiculis suis vehementer disputavisse. Num etiam Cicero hoc officium maximum putavisset?

Praeter ea officia, quae adhuc tractavi, nimirum illis temporibus sescenta fuerunt, quorum plurima propterea tam molesta erant, quod iis nimis temporis conterebatur. Huc pertinet s p o n s i o ; quin etiam in hoc molesto officio videndum erat, ut omnium primus quisque amico adesset et ceteris omnibus praeveniret. Hor. sat. 2, 6, 24 sq.: „*Romae sponsorem me rapis: „Eia, / ne prior officio quisquam respondeat, urgue.*“ Cf. Hor. ep. 2, 2, 67. Incredibile fere est, quantus sumptus in testamentis et litteris huius modi signandis illa aetate inutiliter factus sit. In omnibus fere litteris signandis familiares adhibebantur et eosdem, qui has litteras signaverant, in iis resignandis scilicet adesse oportebat. Etiam in manumissione amicos domini officium signandi praestare oportebat. (Mart. 9, 87.) In omnibus fere actionibus amici sponsores adesse solebant. De hoc more stulto querens Seneca benef. 3, 15, 3 exclamat: „*In quid isti ornati viri adhibiti sunt? in quid imprimunt signa? nempe ne ille neget accepisse se, quod accepit. ... Hoc unum deest avaritiae, ut beneficia sine sponsore non demus.*“ Ex ultimo enuntiato praecipue intellegimus, quam pervulgatus fuerit hic mos pravus sponsionis. Cf. Sen. ep. 8, 6; benef. 4, 39, 3; Hor. ep. 1, 7, 8, ubi verbis „*opella*

forensis" officia testis vel sponsoris vocata esse videntur[1]). Verba Iuvenalis 3, 81: „*me prior ille signabit*" demonstrant etiam in hoc officio omnia ad nihil aliud nisi ad speciem solam intenta esse. Nam ordo, quo amici litteras signabant, ratione condicionis constituebatur, quam hic in societate Romana habuit. Cf. Plin. ep. 1, 9, 2.

Advocationem, quae temporibus rei publicae liberae in gravissimis officiis putabatur, Caesarum aetate non iam eandem auctoritatem habuisse quam illa me dicere opus non est; sed hoc scilicet officium satis saepe praestandum erat et multos dies consumere poterat, qua de re Seneca illo loco iam commemorato dial. 10, 7, 7. indignatur: „*Ille reus quot dies abstulit?*" Cf. Sen. ep. 8, 6; Plin. ep. 3, 9, 7. „*Aderam Baeticis mecumque Luceius Albinus ..; quem ... ex hac officii societate amare ardentius coepi.*" Cf. Plin. ep. 1, 9, 2. Etiam in hoc officio aperte vanitatem societatis, quae tum erat, videmus; neque enim tam advocatorum intererat amicum accusatum defendere quam ipsorum splendore orationis eminere, id quod aperte nobis ex Plinii epistulis occurrit. (Cf. 4, 19, 3; 3, 9 etc.)

In consiliis Romani plurimos amicos adhibebant non tam, ut consilio eorum utantur, quam ut numero amicorum emineant. Cf. Plin. ep. 1, 9, 2; 5, 1, 5.

Nobiles et divites Romani, ut ceteris omnibus opes et divitias illustrarent, quam maxima turba clientium circumfusi crebro in forum decedere solebant. Hi cum in aliis occasionibus tum, si patronus apud alios officium salutationis praestabat, patronum comitabantur. Cf. Iuv. 10, 44 sqq.: „*⟨Da⟩ hinc praecedentia longi / agminis officia et niveos ad frena Quirites ...*" Mart. 9, 22, 10: „*... et mea sit culto sella cliente frequens.*" Quidam nobiles Romani fuisse videntur, qui nihil aliud faciebant nisi nobiles Romanos comitari. Hos homines Martialis irridet 4, 78, 5 sq.: „*Et sine te nulli fas est prodire tribuno, / nec caret officio consul uterque tuo.*"

Cum nobiles Romani ex urbe in provinciam excedebant vel Romam revertebantur, videlicet officium omnium amicorum erat amicum excedentem comitari vel revertenti obviam ire. Tac.

[1]) Cf. Heinze ad ep. 1, 6.

Agr. 40: „*Ac ne notabilis celebritate et frequentia occurrentium introitus esset, vitato amicorum officio noctu in urbem, noctu in Palatium ita, ut praeceptum erat, venit.*“ Cf. Suet. Iul. 71.

Ut temporibus rei publicae liberae, ita hac aetate cives Romani cum provincia vel colonia necessitudine coniuncti erant, ut ex Plin. ep. 1, 7, 2; 3, 4, 6; 3, 9, 7; 6, 18, 1 intellegi potest. Praecipue a d v o c a t i o et d e f e n s i o p r o v i n c i a e id officium fuisse videtur, quo hae maxime obstringebantur.

Eadem officia, quae adhuc tractavi, nimirum in imperatores eximie praestanda erant; nam imperatores, cum ex civitate orti sint, mores consuetudinesque civium conservabant. Itaque initio mores aulae imperatoriae a moribus viri privati paulum differebant et formae, quibus Romani imperatoribus serviebant, plerumque ex his officiis ortae sunt. Sed paulatim aula imperatoria mores ceterarum aularum accepit, quare multa a Romanis aliena ad venerationem cultumque imperatorum accedebant.

Mane omnes nobiles Romani ad imperatorem veniebant, ut eum salutarent (Suet. Aug. 27, 4). Sed etiam aliis temporibus nobilissimi Romani et reges peregrini imperatorem visitavisse videntur salutandi causa (um ihre Aufwartung zu machen). Tacitus narrat Titum causam profectionis officium erga principem protulisse (hist. 2, 1 = hist. 1, 10 ad venerationem cultumque) et Suetonius refert peregrinos reges saepe Augusto non modo Romae, sed etiam provincias peragranti cotidiana officia togatos ac sine regio insigni more clientium praestitisse (Aug. 60). Cf. Suet. Cal. 22, 1. In salutatione officium salutatoris fuisse videtur imperatoris manum osculari. Suet. Tib. 72, 3; Tac. ann. 6, 50. Cum imperatores Roma excedebant vel in urbem redibant, officium omnium fuisse imperatorem comitari consentaneum est. Suetonius Augustum magnis laudibus effert, quod non temere urbe oppidove ullo egressus aut quoquam ingressus sit nisi vespere aut noctu, ne quem officii causa inquietaret, id est ne quis se comitaretur (Aug. 53, 2). Plinius Traianum laudat, quod officium eius (i. e. ii, qui eum per plateas comitabantur) tam modicum, tam temperatum sit, ut antiquus aliquis magnusque consul sub bono principe

incedere videatur (pan. 76, 9). Suetonius identidem narrat Tiberium haec officia sprevisse; cf. Tib. 12, 2 et 27. Eadem officia affinibus familiaribusque imperatoris praestanda erant. Adventu Agrippinae audito intimus quisque officii in principem causa Brundisium iit, ut Agrippinam in urbem comitaretur (Tac. ann. 3, 1). Tacitus Agrippam laudat, quod noctu in urbem veniebat, ut hoc officium amicorum vitaret. Druso Romae appropinquanti quasi per officium legiones obviam isse Tacitus (ann. 1, 24) narrat. Si imperator in provincia versabatur, officium provincialium erat, ut eum omni modo colerent et venerarentur et ei omnes honores afferrent. Itaque Tiberius Archelao magnopere irascebatur, quod hic eum Rhodi versantem nullo officio coluerat Tac. ann. 2, 42. Cf. Tac. ann. 3, 48. In ann. 2, 1 Tacitus refert Phraatem cuncta venerantium officia ad Augustum vertisse. Cf. Suet. Iul. 82.

Caput VII.
De libris, quos Cicero de officiis scripsit.

Quod ad Ciceronis ‚de officiis' librum attinet, Cicero ipse dicit se vestigia Panaetii pressisse, qui librum „*περὶ τοῦ καθήκοντος*", scripsit. Officii igitur voce Cicero vocem Graecam „*τὸ καθῆκον*" convertit, id quod in Att. 15, 13a, 6 et 16, 11, 4 et fin. 3, 20 profitetur. In epistulis ad Atticum scriptis Cicero se defendit, cum Atticus hanc Ciceronis translationem vituperavisset, quod haec vis vocabuli officii non Romana esset. Cicero officia in perfecta et media distinguit et officia media sic definit off. 1, 8: „*Medium autem officium id esse dicunt, quod, cur factum est, ratio probabilis reddi possit.*" Eadem definitio invenitur etiam off. 1, 101 et fin. 3, 58. Hic usus vocabuli officii in nullis libris Ciceronis nisi in iis, qui de philosophia sunt, neque apud alios scriptores sequentis aetatis, quatenus Ciceronis vestigia non premunt, adhibetur. Certe Cicero, si fieri potuit, „*περὶ τοῦ καθήκοντος*" elocutione „*de decente*" convertisset, cum verbum „*decere*" verbo Graeco „*καθήκειν*" satis congruat. Quod praecipue ex hoc loco intellegitur off. 1, 125. „*Ita fere officia reperientur, cum quaeretur, quid deceat et quid aptum sit personae, temporibus, aetatibus.* (Cf. or. 74 quo loco

Cicero vocabula „*oportere*“ et „*decere*“ sic definit: „*Oportere enim perfectionem declarat officii, quo et semper utendum est et omnibus, d e c e r e q u a s i a p t u m esse consentaneumque t e m p o r i e t p e r s o n a e*“). *Nihil est autem quod tam deceat* (= nullum officium est maius), *quam in omni re gerenda consilioque capiendo servare constantiam.*“ Vox ‚aptum‘ etiam vocabulo officii congruit. Officia esse facinora late patet; cf. Auct. ad Her. 3, 3: „*Rectum est, quod cum virtute et officio fit.*“ Cic. fin. 3, 24: „*Quae autem nos aut recta aut recte facta dicamus, si placet, illi autem appellant κατορθώματα.*“ Itaque Cicero off. 1, 146 dicit „... *ex ceteris similibus facile iudicabimus, quid eorum apte fiat* (= quid officium sit), *quid ab officio naturaque discrepet.*“ Quaeri potest, cur Cicero vocabulum ‚decorum‘ non pro voce officii usurpaverit, cum haec vox voci „τὸ καθῆκον“ congruat. Cicero in hoc libro hanc vocem pro verbo Graeco „τὸ πρέπον“ adhibet, de qua re off. 1, 93 sqq., disserit; haud scio an Cicero in hac tractatione librum lingua Romana scriptum, in quo „τὸ πρέπον“ voce ‚decorum‘ conversum erat, secutus sit; propterea vox ‚decorum‘ non iam pro vocabulo „τὸ καθῆκον“ usurpari potuit.

Nunc vero de nonnullis rebus disserere conabor, quae in hoc Ciceronis libro cum consuetudine moribusque Romanis congruunt et a fonte Graeco differunt. Hoc propterea fieri potest, quod Cicero, ut ipse dicit (1, 6), Stoicos sequitur non interpres, sed ex fontibus eorum haurit, quantum sibi videtur, et correctionem quandam adhibet (3, 7). Manifestum autem est Ciceronem iis locis, quibus hanc correctionem adhibet, rebus Romanis, quae tum erant quaeque eum vehementer permovebant, adductum saepissime imprudentem harum rerum rationem habere. Meum autem est eos locos afferre, quibus Cicero vim Romanam vocis officii adhibet et eas res illustrare, quae ad rem publicam Romanam capessendam et officia necessitudinesque Romanorum pertinent.

Iam satis saepe dictum est Ciceronem praecepta vivendi praebentem non omnes Romanos, sed nobiles solos spectare. Despiciuntur portitores et faeneratores et omnes mercenarii, „*quorum operae, non quorum artes emuntur*“ (1, 150), et cum

servis comparantur. Minimi aestimantur ii, quorum operae voluptatibus deserviunt velut coquorum, fartorum, unguentariorum. Etiam ii mercatores parvi aestimantur, quorum fructus tenuis est, sed mercatura, qua magni fructus capiuntur, laudatur (1, 151). Eae artes, quibus maior prudentia aut mediocris utilitas velut medicinae aut architecturae inest, magni aestimantur, neque tamen ordine nobilium dignae putantur. Agricultura autem et pecuaria homine libero dignissima est (1, 151); itaque Cato interrogatus, quid maxime in re familiari expediret, respondit: „*Bene pascere*"; quid secundum: „*Satis bene pascere;*" quid tertium: „*Male pascere;*" quid quartum: „*Arare;*" et interrogatus „*quid faenerari*" ille: „*quid hominem occidere*". (II. 89.) Summum autem studium Romanorum nobilium erat rem publicam capessere; „*nam fructuosior* ⟨*est vita*⟩ *hominum generi et ad claritatem amplitudinemque aptior eorum, qui se ad rem publicam et ad magnas res gerendas accomodaverunt;*" itaque omnes, qui neque imbecillitate valetudinis neque aliqua graviore causa impediti sunt, at tamen a re publica recedunt, non modo non laudandi, sed etiam vituperandi sunt (1, 71). Itaque initio tertii libri Cicero se excusat, quod philosophiae se dediderit; nam se a re publica et a negotiis forensibus armis impiis vique impeditum esse. Rei publicae capessendae causa opes et dignitas et gloria petuntur (1, 25; 1, 70; 2, 65), id quod tribus modis fieri solebat. „*Prima est adulescentuli commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest, in qua multi apud maiores nostros exstiterunt*" (2, 45). Hac in occasione Cicero filium, qui in re militari eminuerat, magnis laudibus effert et claritudinem suam illustrat; neque enim oportere filium clarum nomen sibi comparare, cum hoc a patre acceperit, et oculos omnium in eum conici neque quicquam sive dictum sive factum obscurum esse posse. At contra ceteros celebre nomen sibi comparare oportere magnis rebus gerendis, ut re publica gerenda digni putentur. Alia gravissima facultas clari nominis sibi comparandi erat improbos viros in ius vocare vel cives accusatos defendere (2, 65): „*Nam in iure cavere atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis vehementer et ad*

opes augendas pertinet et ad gratiam." In iudicio enim familiari adesse erat gravissimum officium, ut supra vidimus, et idoneum erat ad opes augendas et dignitatem et ad gratiam, nam „*haec opera grata multis et ad beneficiis obstringendos homines accomodata.*" (2, 65, cf. 2, 49.) Notum est defensionem faustam persaepe petitionem honorum adiuvisse; Cicero ipse narrat se defensione Sext. Roscii nomen et gloriam sibi comparavisse et L. Crassum, cum admodum adulescens esset, ex gloriosa accusatione maximam gloriam cepisse (2, 51 et 2, 47).

Sed cum non omnes Romani iuris periti esse possint, multis prodesse aliis officiis licet, quorum Cicero nonnulla in 2, 67 enumerat: pro familiaribus beneficia aliorum amicorum petere, familiares magistratibus et iudicibus commendare, pro re alterius vigilare, eos ipsos, qui et consuluntur et defendunt, rogare; „*quod qui faciunt, plurimum gratiae consequuntur*" (2, 67). Manifestum est Ciceronem his rebus officia, quae Romani sibi vicissim tribuebant spectare. Cum haec vis vocis officii illis temporibus saepissime adhibita sit, Cicero etiam interdum in hoc libro hanc vim usurpat, quam adhibere ei non licebat, cum hac re perfacile errores oriri possent. 1, 22: „. . . *in hoc naturam debemus ducem sequi, communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem.*" Mutationem officiorum legentes recordamur, quam crebro Cicero cum in aliis libris tum in epistulis de officiis mutuis (i. e. de officiis, quae Romani sibi vicissim praestabant) dixerit. Etiamsi puto hanc totam sententiam apud Panaetium scriptam fuisse, tamen mihi persuasi Ciceronem eam scribentem de rebus Romanis et officiis mutuis cogitavisse. Quantopere hic locus et Sext. Rosc. 111 similes essent, C. F. W. Müller iam intellexerat. Nam illo loco Cicero dicit amicitias comparari, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur, et eum, qui fidem amicorum laedat, omnium commune praesidium oppugnare, et quantum in ipso sit, disturbare vitae societatem. Itaque Cicero eum, qui officia iam accepit, admonet 1, 47: „*Nullum enim officium referenda gratia magis*

neccessarium est.“ Ut in 1, 22, ita hoc loco res se habet. Nam etiam hoc loco Cicero Panaetium sequitur, sed res Romanas in hanc partem infert. Ad hoc conferamus inv. 2, 66. „*Gratiam* ⟨*appellant*⟩, *quae in memoria et remuneratione officiorum et honoris et amicitiarum observantiam teneat.*“ Itaque Cicero de Antonio queritur hunc pro officiis sibi gratiam non rettulisse; epist. 5, 5. Hoc loco (1, 47) praeterea vis vocis officii notioni „*decet*“ non congruit, sed definitioni vocis „*oportere*“ in or. 74: „*Oportere enim declarat perfectionem officii, quo et semper utendum est et omnibus.*“ In 1, 45 Cicero dicit in beneficentia mores eius spectandos esse, in quem beneficium conferatur, et animum erga nos et communitatem ac societatem vitae et ad nostras utilitates officia ante collata. Quis est, quin videat ultimis verbis officia mutua spectari, quae in § 47 merita vocantur, id quod in epistulis Ciceronis iam invenimus (epist. 11, 17, 1 et 12, 29, 1). His autem verbis nihil aliud dictum est nisi nobis in beneficiis tribuendis videndum esse, quantum utilitatis iam acceperimus, et hoc nos iure addere posse puto — ab eo exspectare possimus, cui beneficia tribuimus. „*Sed in collocando beneficio et in referenda gratia ... hoc maxime officii est* (hic aperte vim „*καθῆκον*“ intellegimus), *ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari ... a quo plurimum sperant, etiamsi ille iis non eget, tamen ei potissimum inserviunt*“ (1, 49). Ciceronem de rebus Romanis quae tum erant, his verbis cogitavisse manifestum est et me hoc demonstrare opus non est. Praeterea eadem sententia iterum invenitur 2, 69: „... *volgo loquuntur se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio est; sed quis est tandem, qui inopis et optimi viri causae non anteponat in opera danda gratiam fortunati et potentis? A quo enim expeditior et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior.*“ Hic etiam afferri possunt haec verba 1, 48: „*Etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia* (rursus vis Romana huius vocis adhibita est) *conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt?*“ Cf. 1, 49: „*Acceptorum autem beneficiorum sunt dilectus habendi,*

nec dubium, quin maximo cuique plurimum debeatur. In quo tamen in primis, quo quisque animo, studio, benevolentia fecerit, ponderandum est." Verba Ciceronis in 2, 69 cum consuetudine Romanorum prorsus congruunt. Non modo plerique officia iis praestabant, qui iis plerumque prodesse poterant, sed omnes Romani, qui in re publica multum posse petebant, et constat etiam Ciceronem ipsum non aliter egisse neque agere potuisse. Qui cum consulatum peteret, scilicet adhortationibus fratris paruit, qui eum in epistula, qui „*de petitione consulatus*" inscribitur, admonuit, ut omnibus, qui in petitione prodesse possunt, maximam operam daret: „. . . *spe reliquorum tuorum officiorum et recentibus beneficiis ad studium navandum excitabuntur*" (§ 19). „*Qui autem spe tenentur, quod genus hominum multo etiam est diligentius atque officiosius, iis fac, ut propositum ac paratum auxilium tuum esse videatur* . . ." (§ 22). Quis est, quin videat haec verba et off. 2, 69 inter se nulla re differre. Cum illis temporibus haec esset condicio societatis Romanae, propterea Cicero non vehementer in eos invehitur, qui utilitatem in beneficentia spectant, sed satis clementer. In 1, 56 Cicero dicit etiam illam communitatem esse magnam, quae conficiatur ex beneficiis ultro et citro datis, acceptis, quae et mutua et grata dum sint, in quos ea sunt firma devinciantur societate. Ex particula „*etiam*" apparere mihi videtur hanc sententiam a Cicerone adiectam neque ex Panaetio exhaustam esse. Dubium non est, quin Cicero his verbis de amicitiis Romanis cogitaverit, quae ex mutuis officiis inter nobiles Romanos ad se in rebus privatis et publicis adiuvandos constabant, et videmus, quanti a Cicerone amicitiae huius generis aestimentur. Certe concedendum est verba „*beneficiis ultro et citro datis acceptis*" in 1, 56 cum officiis mutuis congruere. Etiam in 2, 30 scriptum videmus non omnes cives benevolentia aeque egere, cum ad vitam cuiusque accomodanda sit; certe maxime necessarium esse fidas familiaritates sibi comparare. Honorem et gloriam et benevolentiam omnes cives non aeque egere, sed aliquantum adiuvare cum ad cetera tum ad amicitias comparandas. Hoc loco etiam de amicitiis Romanis cogitatum esse manifestum est. Cicero,

ut haec verba confirmaret, optimo iure addere potuisset verba, quae in oratione pro Plancio habita fecit § 81. Nam „*cuius opes tantae esse possunt aut umquam fuerunt, quae sine multorum amicorum officiis stare possint?*“ In 2, 68 Cicero admonet, ne in beneficentia alii offendantur; sed si hoc factum est, „*utendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacumque possis, quare id, quod feceris, necesse fuerit nec aliter facere potueris ceterisque operis et officiis erit id, quod violatum videbitur, compensandum.*“ Primo me dicere oportet vim „Dienstleistung“ vocabuli officii hoc loco late patere. Deinde hoc enuntiatum cum verbis Q. Ciceronis congruit, qui fratrem adhortatur pet. cons. 40: „*Quos laesisti, cum contra eos pro amico diceres, iis te plane purgato, necessitudines commemorato, in spem adducito te in eorum rebus, si se in amicitiam tuam contulerint, pari studio atque officio futurum.*“ Ex his verbis aperte intellegimus Ciceronem rursus in 1, 68 res Romanas spectavisse et dici potest omnia, quae capite XIX continentur, ad res Romanas, quae tum erant, pertinere et vix ex Panaetio hausta esse. Initio insequentis capitis Cicero dicit homines locupletes, honoratos, beatos beneficio ne obligari quidem velle et timere, ne patrocinio usi sint et clientes appellentur. Hoc saepe Romae accidisse videtur et versimile est etiam Ciceronem hoc intellexisse. Haec verba congruunt verbis Senecae, qui benef. 2, 23, 3 lamentatur rariores esse in eorum officiis, quibus vitam aut dignitatem debeant, et dum opinionem clientium timeant, graviorum subire ingratorum. Etiam haec sententia ad homines locupletes pertinet.

Initio capitis IX libri II Cicero dicit summam gloriam, quam omnes Romani vehementer petebant, ex tribus rebus constare: si diligat multitudo, si fidem habeat, si cum admiratione quadam honore dignos putet; amorem autem multitudinis commoveri maxime beneficiis, secundo autem loco voluntate benefica, denique fama et opinione liberalitatis, beneficentiae, iustitiae, fidei. Magni est Ciceronem opinionem multitudinis respicere, de qua re non miramur, cum in re publica capessenda opinio multitudinis praetermitti non posset. Nam „*petitio magistratus divisa est in*

duarum rationum diligentiam, quarum altera in amicorum studiis, altera in populari voluntate ponenda est“ (pet. cons. 16). Beneficentia igitur non per se ipsa efficitur, sed ut ea amor multitudinis capiatur, id quod dignitatem beneficentiae minuit, sed rebus Romanis congruit.

Quodsi contentio quaedam et comparatio fit, quibus plurimum tribuendum sit officii, Cicero 1, 58 praecipit, ut principes sint patria et parentes, quorum beneficiis maximis obligati simus, proximi liberi totaque domus, deinceps bene convenientes propinqui. Non modo vis vocis officii est Romana, sed omnia, quae hoc enuntiato continentur, rebus Romanis congruunt; nam „*pietatem* ⟨*appellant*⟩ *quae erga patriam aut parentes aut alios sanguine coniunctos officium conservare moneat*“ (inv. 2, 66); pietas autem est virtus Romana, et impium appellari turpe putabatur. Initio sequentis capitis quater vis Romana „Dienstleistung“ adhibetur, sed omnia, quae hac parte continentur, ex Panaetii libro exhausta sunt.

In 3, 74 Cicero dicit sibi etiam veras hereditates non honestas videri, si sunt malitiosis blanditiis, officiorum non veritate, sed simulatione quaesitae. Etiam hic vis Romana „Dienstleistung“ late patet; simul intellegimus ex hoc enuntiato etiam illis temporibus Romanos officiis iam male abusos esse cum ad alia commoda tum ad hereditates sibi comparandas, id quod Caesarum aetate, ut supra vidimus, vigebat.

Postremo duo loci mihi proferendi sunt, quibus vis vocis officii cum notione „*decet*“ non congruit. 1, 122: „*... ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria.*“ Manifestum est non de vi „*decet*“ hoc loco agi, sed officia dicta sunt pro negotiis et officia civilia nulla fere re a muneribus differunt. — 1, 144: „*Bene Pericles cum haberet collegam in praetura Sophoclem poetam iique de communi officio convenissent ...*“ Praetura vocatur commune officium Periclis et Sophoclis, qua de causa haec vox a vi muneris vix differt.

[Liceat mihi maximas agere gratias Maximiliano Schlossarek, viro doctissimo, qui in plagulis corrigendis multisque aliis rebus liberaliter me sublevavit.]

Index rerum et verborum.

Index locorum.

Vita.

Natus sum Ernestus Bernert Vratislaviae a. d. V. Kal. Oct. a. MCMV patre Reinholdio, matre Francisca e gente Golla, quos ambos superstites esse gaudeo. Fidei addictus sum catholicae. Primis litterarum elementis imbutus novem annos gymnasium Strehlense frequentavi, unde testimonium maturitatis adeptus vere anni MCMXXV hanc adii universitatem Vratislaviensem, ut studiis philologicis et historicis operam navarem. Vere anni MCMXXVII Lipsiam et autumno eiusdem anni Berolinum me contuli, unde autumno anni MCMXXVIII Vratislaviam reverti.

Hoc opusculum ab ordine philosophorum Vratislaviensium praemio ornatum est.

Docuerunt me hi viri clarissimi Vratislavienses: Drexler, Hoenigswald, Kaehler, Koebner, Kornemann, Kroll, Kuehnemann, Lehmann †, Malten, Nehring, Reincke-Bloch †, Weege;

Lipsienses: Bethe, Heinze †, Koerte, Kuehn, Rumpf, Studniczka †;

Berolinenses: Dessau, Dessoir, Deubner, Hiller de Gaertringen, Jaeger, Noack, Norden, Maas, Meinecke, Regling, Rodenwaldt, de Wilamowitz-Moellendorff, Wilcken.

Postquam tria semestria proseminario interfui, quarto semestri in seminarium receptus sum, cuius sodalis tria semestria Vratislaviae Krollio et Maltenio, unum semestre Lipsiae Bethio et Heinzio moderantibus fui. Deinde ad exercitationes seminarii archaeologici Noack, Rodenwaldt, Rumpf, Studniczka, Weege,

historici Kaehler, Koebner, Kornemann, Reincke-Bloch, Wilcken, philosophici Kuehnemann benigne me admiserunt.

Omnibus his viris gratiam habebo maximam imprimis M a l t e n i o , qui me studiis philologicis operam navantem liberaliter auxit, et D r e x l e r i o , qui mihi consilium et auxilium petenti nunquam defuit.

Summas autem gratias ago G u i l e l m o K r o l l, praeceptori carissimo, qui magna cum benignitate mihi semper favit et ad hunc libellum conscribendum me incitavit et in eo conficiendo benevolentia et consilio adiuvit.
